

Google

MEDICINAE HER=BARIAE LIBRI DVO, QVO=rum Primus habet herbas huius seculi Medicis communes cum ueteribus, Dioscoride uidelicet, Galeno, Oribasio, Paulo, Aëtio, Plinio & horum similibus. Secundus ferè à recentibus medicis inuentas continet herbas, atq; alias quasdam præclaras medicinas, ut quæ post Galenum uel inue=stigatæ sunt, uel in usum medicum peruene-runt.



AVTORE IOANNE AGRI-cola Ammonio artis Medicæ professore.

BASILEAE, EX OFFICINA BARPTHOLOMAEI VVEST-HEMERI, MENSE AV=GVSTO ANNO M. D. XXXIX.

MAGNIFICO ATQVE INTEGERRIMO uiro domino Antonio Fuggero, Domino in VVeissenhorn, Kirchsperg, Biberbach, &c. Studiosorum omnium antistiti & Mœcenati unico, domino & patrono suo suspiciendo, Ioannes Agricola Ammonius Medicinæ professor. S. P. D.



EFfecerunt binæ tuæ literæ nuper ad me perscriptæ, uir magnifice, & seculorum memoria dignissime, ut confidentius aliquando in tuum conspectum prodire sustinuerim, quod nisi prior prouocatus essem ad mutuam scribēdi & respondendi prouinciam, meritò apud tantum æui nostri heroa mussare conuenerat. Quamobrē quum tantam humanitatē & beneuolentiam domini Fuggeri, uiri tum fortunæ facultatibus, tum etiam ueris animi dotibus affluentissimi & celebratissimi amplecti daretur,

oblata inde occaſione, uiciſsim gratificari uolens, libros duos ſimplicium medicamentorum à me perſcriptorum nomini tuo tam ſplendido atq; plauſibili nuncupaui. Ex cunctis autem hunc mihi heroa potiſsimum delegi, nec mihi uir quiſquàm humili loco & obſcura propagine ortus placebat, quo uiri ſummi & tum diſciplinarum omniiugarũ eruditione, tum exteris bonis inſtructiſsimi, nec non ætatis huius primarij autoritate opus hoc noſtrum cõmendaretur. Principe autem loco, ut dominatio tua breuibus intelligat laborũ noſtrorum hypotheſin, huc primũ inclinauit animus, ut ſub cõpendio quicquid eſſet herbarum uel aliorũ quorundam pharmacorũ ſimplicium, quibus hodie tabernæ aromatariæ inſtructæ eſſe debent uno aliquo uolumine complecteremur: quo inſpecto ſtudioſus Lector ilicò & nomen uulgatum plantæ medicamen tariæ

Argumentum libri primi.

tariæ cuiusq; aucuparetur, & simul eodem labore admoneretur, quale eius nomẽ apud Dioscoridem uel Galenũ extaret. Sic enim fieri posse mihi persuadebam, ut facillime quid quiuis autor de quauis herba perscripsisset in promptu esset habiturus. Hoc equidem ueluti enchiridio tum queant uti commode ubi per apertos campos, per syluarum & nemorum recessus simplicia hęc speculatum concesserint, rus unà elato Dioscoride. Siquidem ut hoc crebro faciant, ut è pluribus paucissimos adducam, Plinius & Galenus medicis gnauiter præscribunt. Plinius nanq; lib. 26. cap. 2. carpit Medicos, quod à tempore Herophili medicina ad uerba garrulitatemq; descendente, sedere in scholis, auditioni occupatis gratius fuerit, quàm ire per solitudines, & quęrere herbas alias aliis diebus anni. Galenus autem lib. 3. de Compositione Medicamentorum

κατὰ γένη sua lingua ἐκ τούτου γάρ οἶμαι inquit, τοὺς εὐφυεῖς τῶν νέων προτραπήσεσθαι, γνῶναι τὴν ὕλην τῶν φαρμάκων, αὐτόπτας αὐτῆς γενομένους, οὐχ ἅπαξ ἢ δίς, ἀλλὰ πολλάκις. Ἡ γὰρ τῶν αἰσθητῶν διάγνωσις ἐκ συνεχοῦς θέας ἀκριβοῦται. Καὶ τούτου μέγιστον ἐστὶ τεκμήριον ἡ τῶν ἀπαραλλάκτων μὲν ἡμῖν εἶναι δοκούντων διδύμων, οὐκ ἀπαραλλάκτων δὲ τοῖς συνήθεσι μὴ παραδραμεῖν. τὴν μὲν οὖν ἀπό τε βοτανῶν καὶ θάμνων καὶ δένδρων ὕλην ἄριστόν ἐστι, πρὶν ἐξαιρεθῆναι τῆς γῆς σκοπεῖσθαι, κατὰ τὰς ἐγκαρπήσεις, μελλούσας τε καὶ ἀρχομένας, καὶ προϊούσας καὶ ἀκμαζούσας. Αὕτη γὰρ ἡ συνεχὴς αὐτῶν θέα, διδάξει σε πηνίκα μάλιστα καλῶς ἀνῆς αὐτὰ λαμβάνων. hoc est. Bonæ indolis iuuenes medicamentorũ materiam cognoſcant, ipſimet inſpicientes non ſemel aut bis, ſed frequenter. Quoniam ſenſibilium rerũ cognitio ſedula aſpectione confirmatur. Cuius rei indicium eſt euidentiſsimũ, quod dydymi per omnia ſimiles eſſe nobis uiſi ſint, differentes autẽ his, qui ipſos inſpicere con ſueuerant

sueuerant. Itaq; herbarum, fruticum & arborum materiam priusquám è terra eximantur cõtēplari pulcherrimū est, dū fructus uidelicet futuri sunt, dum eduntur, dū augescunt & dum uigent. Hæc siquidem continua speculatio docebit te quando potissimum ipsos cō mode decerpas etc. Nos igitur hūc laborem nobis asciuimus, ut facere mus palam, quæ uulgatæ herbæ in tabernis pharmacopolarum apud Dioscoridem & Galenum inuenirentur. Quanquám per hos duos autores intelleximus quosuis etiā alios similis monetæ atq; eiusdem classis scriptores Paulum, Soranū, Aetium, Oribasiū, Antyllum atq; id genus reliquos: ut horum uestigijs insistentes nos horum similes effingamus. Nam omnia ad natiuā imaginem ab his non pessime sunt expressa, adeò ut nihil in his inuenias ociosi. Hic tamen non renarrauimus simplicia medicamenta

omnia, quoniam obmisimus quæ sunt uulgatissima, & de quibus citra controuersiam constat apud autores: quid enim attinebat indicare saluiã uulgarẽ esse saluiam apud Dioscoridem, rutam rutã, & quercum quercum? Nostris insuper si quando nomenclaturas Germanicas adposuimus, nemini debet' id uideri absurdũ, quum Italos, Gallos & Hispanos medicos idẽ factitare in sua lingua non pudeat. Adhæc Libro secũdo, quicquid est recentium medicinarum simplicium et quarundam compositarum diligenter adnotauimus, ut studiosus & diligens medicus posthac nõ diu se maceret & excruciet in his apud Dioscoridem & Galenum reperiendis, quæ ipsi uel nunquàm tractauerunt, uel ipsorum æuo nondum fuerunt inuenta. Ex quo multa Serapionis demum tempore sunt in re medica excogitata atq; elaborata. Vnde minus nobis admirari subit in

Libri secundi hypotesis.

bit in animum, quum sexingentos post demortuum Galenum annos sequutus sit, & inter Arabes celebris floruerit Serapion. Ea uerò norit candidus Lector nos tantū memorauisse uirorum doctissimorum censuris usos, quæ autorū rationibus & solidis probationibus uidimus roborata: nam fallacibus nimium cōiecturis, præsertim ubi nimia suberat collatorum inæqualitas uti noluimus, utrunq; nōnullis secus uisum est, qui carbonē non rarò in scriptis à se nuper proditis coniectant esse ferè candidum & Aethiopa albū. Et quod decorum ipsum exigebat non cælauimus interim autorum nomina, si quorum usi sumus opera, & quibus aliquid deferendum erat: quanquàm id uideo uiros quosdā nominis magni non fecisse, qui pro suis multa exscripserunt, suppresso eius nomine per quem profecerūt. Mihi autem honorē suum cuiq; tribuere satius

Serapion post 600 annos Galenum subsequutus est.

 est uisum

est uisum quàm alienum arrogare.
Porrò facultatem & usum simplicis pharmaci cuiusq;, cādide lector alibi legas oportet, nos solas autorum diffinitiones attulimus, qui herbulas demonstrarunt: exceptis paucis quæ nobis insignia, aut singularia, & non omnibus obuia occurrebant, quæ uel ipsi experti uel ab aliis accepimus, hæc ut passim uidere licebit, nequaquàm piguit transscribere. Quàm plurima quidem adducere aliquando erat animus inter remedia & experientias, sed quoniam hoc amicos improbare uidebamus, ut aliorū iudicium non reiicerem, omisi pleraq;: Fieri potest ut quod ea præterierim, quū quot sint capita tot sententiæ, alii sint rursum calūniaturi quod rem nō altius repetiuimus. Neq; est hęc exercitatio in simplicibus medicamentis perdiscēdis extrahēda quasi exigui ponderis disciplina posthabenda, immensa est utilitas quæ inde

inde oboritur hic ſita & repoſita, adeò ut eam ignorare, medicæ rei ſtudioſi ſaltem mente oculis & auribus ſani non debeant. Quapropter ſolitudines & eremos uarijs herbis fruticibusq; cōſitas Medici Alcinoi & Heſperidū hortis herbariæ medicinæ perſcrutandæ gratia ante ponere non dubitant. Statuit nanque natura primo ordine ſimplicia, ut his bene expenſis & trutinatis tandem ad compoſitiones pharmacorum aliquis accedat magis inſtructus, atq; ita arti uniuerſæ cōſulatur rectius. In quo negotio adminiſtrando nequaquám mihi probantur quidam ſcrupuloſi uel potius moroſi medici, qui ferè de ſingulis addubitant, quos de ſambuco atq; adeò fœno ipſo boū pabulo dicas ambigere, atq; ſubinde præſentium affici tedio faſtidioſos homines, & aliud diuerſum inquirere. Quos ego lubens ſemper prætereo, nec dignor etiā ſi in hos

incido plura cum ipsis uerba commutare. Mirandum uerò potius uidetur herbas multas sic hominibus innotuisse, ut quæ licet ab autoribus non depingantur, cognoscuntur tamen ab omnibus. Nec satis admirari possum, inquit E. Cordus arcanã illã naturæ, nescio qui dicam energian ne an benignitatem, quæ foris conspicuo aliquo indicio intus latentem herbarũ uim prodit, ut in Echio apparet, cuius uiperina illa capita efficacem contra uiperas facultatem indicãt. Sic etiam Scorpioidis seu scorpij herbæ semen, ut Diosco, Theophrastus & Nicander aiunt, radix Scorpionem referens contra idem insectum salubre est antidotum. Sic & minus Heliotropium simili uerrucis semine contra easdem ualere deprehenditur, hinc & Verrucaria dicta est. Et maius Heliotropion indicante id simili caudæ scorpionum flore scorpij ueneno reluctatur

Echion.

Scorpioides.

Verrucaria.

Dracontiũ.

tur

tur, unde & Scorpiarus est dicta. Similiter qui radice Dracontij suas manus perfricuerint, á serpentibus percuti negantur. His atq; horum similibus naturalium historiarum libri sunt refertissimi. Dominatio tua boni consulat tum hæc accisa per me & frustillatim adducta, tũ in uniuersum quod ita apud tuam humanitatẽ ineptio. Malui enim apud D. T nonnihil ineptire quàm inciuilis esse & prouocatus humanissimis scriptis non excitari ad operam mutuam. Cæterũ quod ad Librũ attinet, nomini tuo hunc splendidissimo inscribere uolui, nõ ob aliam rem q̃; ut cõmendabilior protinus fieret apud omnes æquos lectores. Quod si hunc ipsum D. T non grauatim excipere persensero abunde mihi respondisse mea uota ingenue fatebor. Vale uir integerrime, seculi splendor & ornamentum, atq; clientem omnium infimum habe commendatum. Ingoldstadij Kal. Maij. Anno CHRISTI 1530.

QVAE SIMPLICIA MEDICAmenta à Seplasiarijs nostri æui usurpata, repiantur apud Dioscoridem & Galenum: coniunctis ubiq; nominibus ipsorum sub quibus cum olim apud principes medicos, tum hodie in Officinis in frequenti usu conspiciuntur

HErbaria medicina testimonijs clarorũ scriptorum quondam euasit longe celebratissima. Quum enim huius uirtute & utilitate haud dubie quisquis in hac probè fuerit exercitatus in medendo præstare poterit plurimum: æquum iudicamus ut studiosi rei medicinalis simplicium Medicinarum facultatẽ diligentissime peruestigent. Nam ut C. Plinius li. 24. cap. 1. Historiæ mundi inquit, Hæc naturæ placuit esse remedia parata, uulgo inuentu facilia, ac sine impendio, ex quibus uiuimus. Et si ex horto aut petatur herba, uel frutex queratur, nulla artium utilior fiet. Rursus lib. 12 in præfatione. Diu fuere occulta terræ beneficia, summumq; munus homini datũ, arboresq; syluæq; intelligebantur. Hinc primum alimentum, harum fronde mollior specus, libro uestis: etiamnũ gentes

sic degunt.

ſic degũt. Quò magis atq; magis admirari ſubit ab ijs principijs, cædi montes in marmora, ueſtes à Seribus peti, unionem in rubro maris profundo Smaragdum in ima tellure quæri. Simplicium inſuper Medicinarum cognitionem peruetuſtus & præclarus medicus Scribonius largus in proloquio libi ſui uerbis ſubſcriptis extollit. Eſt hæc pars Medicinæ, dicens, ut maxime neceſſaria, ita certe antiquiſsima, & ob hoc primum celebrata atq; illuſtrata. Siquidem uerum eſt, antiquos herbis & radicibus eorum corporis uita curaſſe: quod etiam tunc genus mortalium inter initia non facile ſe ferro committebat. Et in Epilogo. Dabimus operam, ut Simplicia primũ ponamus. Interdum enim hæc efficatiora ſunt, quàm ex pluribus Compoſita medicamenta. Incumbite igitur in hæc Simplicia pharmaca, candidi aduleſcentes, atq; hanc artis partẽ inter potiora ducite, nobis fidem habete, & nunquàm uos pœnitebit operæ aut impenſæ.

Abſin-



Bſynthium marinũ, Santonicum, Centonica, Semen ſanctum, Santolina, Semen lumbricorum, ſemen Cynæ, idem ſimplex medicamentum eſſe ſcribitur à doctiſsimo uiro Ioanne Manardo Ferrarienſi.

Acacia, quam lachrymam Cyaneam uocauit primus Andromachus, non eſt agreſtiũ prunellorum ſuccus, ſed naſcentis in Aegypto cuiuſdam ſpinæ fructus, ueluti cenſuit Euritius Cordus. Ioan. Monardus putat Italiæ etiam deeſſe. De eadem uerbis agit ſequentibus Antonius Muſa, Acaciam noſtram, dicens, ex arbuſcula quæ prunus ſylueſtris dicitur, & Italice prugnolus quaſi pruneolus, paramus. Fructum ante maturitatem colligimus & exprimimus: quod ſimul cum carne miſcentes in placentarum orbes conformamus, & exiccantes pro acacia utimur. Neq; uero hæc noſtra Acacia eſt deſpicienda, quũ præſertim ea utiliter uti poſsimus in his quibus opus eſt infrigidare, conſtringere & repercutere. Oribaſius & & Aëtius idem cum Spina Aegyptia Acatiam eſſe uolunt, alij negant. Dioſcorides in Aegypto ſolum naſci memorat, quum tamen & alibi proueniat.

Nam

Nam & Syriam Spinam dici constat. Docet autē Dioscorides ubi careamus Acacia uera loco eius sumi posse Sumachium, sic enim dicitur Rhus obsoniorū. Errant insuper qui Acaciam fieri putant ex Spina Arabica, Vide inferius lib. 2. in dictione Suchaba.

Acanthum Euricius Cordus Simplicium medicamentorum diligens expensor, scribit ab Italis Brancam ursinam Romanam appellari. Manardus uerò inquit, Acantham & Acanthū Brancham ursinam maiorem Itali uocant. Antonius Musa qui se in cognoscendis ueris medicinis simplicibus diligentem & strenuum prestat uirum, cōfirmat hanc sententiam, dum inquit, Nec moueor quod præduras spinas non habet: satis enim est ubi flores exeunt ueluti spinas habere, sed molles, ideò à Virgilio mollis Acanthus dicitur. Deniq; antiqua uasa & columnæ in eius suspicionem me adduxere: nam antiqui molli Acantho pateras pingebant, & columnarum basibus Acanthi folia sculpebant, unde suspicatus sum, quam Acanthum Dioscorides & Plinius ac alij appellant, nostram Brancam ursinam maiorem esse.

Vergil. Aegloga 3. & circa finem lib. 1. Aeneidos, Theocritus 1. Idyllis.

Acanthium Dioscoridis lib. 3. cap 16. & Plinij li. 21 cap 15. & 16. fortaßis est Carduus benedictus.

b Aconi-

Aconitum *alterum Dioſcoridis lib. 4. cap. 76. Lycoctonen dictum, hoc eſt, lupos interficiens: uidetur eſſe ea quam* wolfs wurtz *uocitamus, id eſt lupariam. Cucullatum autem habet florem uiolacei coloris, & caulem cubitorum quatuor, atq; inſuper radicem bulboſam ueneno grauidam maiorem, cui adhæret longe minor modo muris exigui, qui muſculus dicitur magis ampliore illo radice pollere toxico ueneno. Hoc germen facile cuiuis oſtendere poßumus ſub autumnum. Alterum uerò aconitum ceruleum habet cucullum, & tales ſimiliter flores, niſi quod illi in albo flaueſcãt. Napellus autem apud Auicennam nõ eſt aconitum ſicut uoluere quidam: ſed hic autor lib. 4. Fen. 6. Tractatu 1 cap. 2. napellum ponit pro ea quæ apud Galenum lib. 3. de Simpl. med facul. cap. 17. eſt Cicuta. Alibi uerò quia Fen. 6 libri eiuſdem Summa 2. cap. 1. Napellum uſurpat pro Toxico, & & tranſſcripſit ſub nomine Napelli in ſuum codicem quæ Dioſ. lib. 6. cap. 20. tradit de Toxico: Nempe, toxicum eſſe nominatum, quod barbarorũ ſagittæ eo illinerentur inficerenturúe. Facis autem toxicum linguæ labrorumq; inflammationes, & eam inſaniam quæ coërceri non poßit, uarijs mentem imaginibus turbantẽ: quò fit ut difficillimæ curatione ſanentur, raróq; incolumes euadant qui*

toxicum hauserunt. Quod autem napellus aconitum esse non queat, facile euincitur ex Theophrasto, qui libro nono de historia Plantarum aconiti folium & fructum nocere tradit nihil penitus, sed uim habere mortiferam solum in radice. Recentiores uerò pleriq; omnes qui de antidotis commentati sunt contra uenena pollentibus, ut Petrus Aponus, Alsaharauius Rasius suæ Decadis lib. 8. & similis monetæ medici folio, fructu, succo & radice napellum esse uenosissimum, testantur: ita enim produnt, Baiulo uidelicet Napelli abscessus fieri in labris oris, & lingua, prominentes multum fieri ambos oculos, uertiginem capitis oboriri, syncopen & tinesmon. Rarò infectum ab eo lœtum euadere, unde quisquis non subito concidat & spiritum ponat, hecticæ febri aut phthisi obnoxius sit futurus. Porro ne posthac cicutæ cogamur in sequentibus uerbosius mentionem facere, huic loco adijcienda commodum uidebantur, quæ sunt reliqua. Esse namq; ferè cuiuis regioni uenenum illud perq̃ familiare, nisi quod calidis locis proueniat efficatius, ubi & frequenter pascentibus gregibus occursans damnosum, uel ut rectius dicã lœtale existit. Traduntq; uinũ meracius sanare, si quis cicutam comederit: mixtam uerò uino uenenũ esse insa-

Napellus. Cicuta.

nabile. Vulgatus autẽ error est qui nuper in myropolijs inualuerat, & quem explosum iam sperauerim ex uniuerso orbe, loco Rutæ syuelstris semen Cicutæ usurpare. Quod quàm sit periculosum ex his uersibus ex Alexipharmacis Nicandri latine loquentis, depromptis, haud difficulter edocebere.

Rutæ sylue stris semen Cicutæ semen.

Deinde malæ obserua lœtalia pocla Cicutæ.
Hæc siquidem cœcas capiti infert sumpta tenebras,
Atq; caduca oculis celeres uertigine gyros,
Vt titubante gradu, & pronus palpantibus æger
Prorepat manibus, clausas angustia fauces
Strangulat, & summos frigẽs subit horror in artus
Contractæq; silent & ducunt ocia uenæ,
Ille autem modicum stricto trahit äera collo.
Et crebro exanimis singultu uellitur, inde,
Horrida terribilis uisurus limina Ditis.

Toxicum.

De Toxico uerò Nicander latinus factus ab E. Cordo ita meminit.

Pellere nunc etiam perimentia toxica disce.
Quando suis hominem misere cruciatibus agunt.
Crassa fit illius iuxta imum lingua recessum,
Turgida labra calent, mox arida sputa sequuntur.
Atq; recedentes inferna parte dehiscunt
Gingiuæ è quæ sua luxæ statione mouentur,
Cor stupet, omnis abit sensus, turbataq; mens est.

Hinc

Hinc rabida innumeras ædit uesania nugas,
Clamosoq́; dolens homo uociferatur hiatu
Secta uelut trunco uellatur corpore ceruix.

Et paulo inferius,

Et trucium fugiens ululat de more luporum
Obliquisq́;, ferus ceu taurus, atrociter hirquis
Prospicit, ac nudo fremebundus dente renidet.

Aconiti *quoq; descriptio est apud eundem Nicandrũ, quam latino carmine cõmutatam adferre maluimus, neq; uerò in huiusmodi librorũ copiæ cornu, si cui magis arriserint, græca ipsa deerunt, in excuso codice facile ob oculos exponenda.*

Perspectum ergo cauens Aconitũ noris amarum, *Aconitum.*
Plæna quod educens Acherontis ripa propagat
Qua Plutonicus est specus, irremeabileq́; antrum,
E quo quantumuis festinus nemo rediuit.
Qua uersa Herculeo Priolai mœnia bello
Terribili streperam traxere fragore ruinam.
Illius horribilis totum os adstringit amaror
Maxillas, dentes, gingiuas, labra, palatum,
Præcipuumq́; statim membrũ, Cor scilicet ipsum,
Impetit atq; malo properans errore uagatur,
Mœrentemq́; hominem cruciante dolore fatigat.
Summum uentriculi siquidem os diuellitur, id quod
Cor quoq; dixerunt aliqui, & quadã quasi porta

Clausa coartantur luctanti uiscera motu.
Plurimi item crepitus infraq; supraq; feruntur,
Et madidus toto promanat corpore sudor.
Inuisum caput urget onus, tumideq; resultant
Temporibus uenæ, duplex capit omnia uisus,
Non secus ac alta temulentus nocte, uelutue
Cornigeri altores Bacchi, ebria turba, Sileni
Expressæ mentem suffusi potibus uuæ
Turbida diuerso detorquent lumina ductu,
Atq; labante genu nutanteq; corpore toto
Per Nisæa inopes animi decliuia currunt.
Sic hebetes oculos habet hac qui peste grauatur.
Myoctonō. *Illud idem quidam dixere Myoctonon, ut quod*
Gustantes soleat propè fontes perdere mures.
Pardalianches. *Quidam alio appellant id nomine Pardalianches,*
Monstroso quod huic animanti rustica turba
Interitū struat, hanc si quando obiecerit herbam,
Per iuga frondosæ Phalacræis uallibus Idæ.
Sæpeq; Thelyphonon, nec nō & Cammoron, illud
Fœmineum dicunt Aconæis crescere sulcis.

Scholia in octo posteriores utpote diffi ciliores uersus.

Aconitum *inter alia nomina appellantur etiam* μυοκτόνον, *quasi mures occidens, quod lingentes ipsum mures enecet. Appellat autem mures* Nicander

Nicander ὕρακας. Nam Græci, ut tradit Nicandri Scholiastes, suem uocant ὗν & χοῖρον. Aetoles autem ὕρακα. Hoc itaq; loci Nicander mures ὕρακας cognominauit, eò quod rostro suibus sint multum adsimiles. Aconitũ Pardalianches etiam dicitur, cuius lib. 8. cap. 27. Plinius ita meminit. Pantheras per carnes fricatas aconito uenantur barbari. Occupat ilico fauces earũ angor. Quare Pardalianches ad uenenum appellauere quidam. At fera contra hæc excrementis hominis sibi medetur, & aliàs tam auida eorum, ut à pastoribus, ea est industria, in aliquo uase suspensa altius, quàm ut queat saltu contingere, iaculando ea petendoq; defatigata, postremò expirare dicatur: alioqui ui uacitatis adeò lentæ, ut eiectis interaneis diu pugnet. In Phalacræis Vallibus Idæ.

Apparet ex hoc loco Plinij Pardalin esse Pantheram

Idæ montis uertices sunt quatuor Phalacra, Lecton, Sigeum, & Gargarum. Hesychius hoc modo inquit. φάλακρον, ἀκρωτήριον ἴδης, hoc est, Phalacron est promontorium Idæ. Telyphonon autem appellatur idem Aconitum, hoc est, quasi fœminas occidens, quia ut Scholiastes Nicandri scribit, qualiũcunq; fœminini sexus animalium genitalibus adpositum, eodem die Theophrasto autore, illis lœtum præsentaneum adfert.

Cammoron *etiam dicitur, quia malo fato & malo interitu occidat.* Aconæi *montes, uel excelsa loca ubi uidelicet* Ἀκόναι *id est, cotes nascuntur, à Nicandro uocantur.* Plinius *lib.* 6. *cap.* 1. *uno uerbo meminit, dum inquit*: Abest à Ponti *ore miliaribus ducentis portus* Acone *ueneno* Aconito *dirus.* Dioscorides *lib.* 4. *cap.* 75. *naturæ mirum recitat, quod nobis commodum hoc loci uisum est adponendum, uerbis tamen recitatum* Roterodami Erasmi*, quæ sic habent.* Aconito *tanta uis est, ut Scorpius ad huius contactum stupescat pallescatq́;, seseq́; uinci patiatur. Sed offensus ueneno à ueneno petit remedium. Nam si poßit se explicare à folio aconiti, & album helleborum contingere, recipit pristinum uigorem, diuersi ueneni contactu soluente torporem.*

Acetosam *inquire in* Lapatho.

Acorus uerus *quid sit fortasis ignoratur* Manardus, Cordus *&* Rodericus Lusitanus *succedaneo utendum esse censent calamo illo nostro aromatico, siquidem hic nomini suo non satisfacit.* Nicolaus Leonicenus *&* Antonius Brasauolus*, quam officinæ.* Galangam *uocant, uerũ putant esse* Acorum*, quoniam huic descriptio tota sit conueniens. De eadem uerò quæcunq; uspiam inuestigari*

datum

datum est, placuit ita commeminisse. Est radix quæ uocatur Officinis recẽtioribusq; medicis Galanga: quæ surculosa, geniculis scatens, subrubra, & in quosdam nodos crassiores ex interuallis intorta, sapore acerrimo linguam admodum uellicante, odore Cyperum quadamtenus imitante: unde multi herbarum coniectores Cyperum Babylonicum cognominarunt. Tertiam excalfacientium sedem ei assignant. Hæc concoctionem uentriculi iuuat, finit dolores eiusdem, quos frigida causa concitauerit, spiritus digerit coacta ex uino. Cerebrum roborat naribus indita: os cõmendat ijs, quibus anima grauiter olet. Ex succo plantaginis datur quibus cor palpitans micat. Cœliacis & Colidoloribus noxio spiritu conceptis auxiliatur, acidis subuenit ructibus. Huius apud recentiores medicos tam Græcos quàm Latinos magnus erupit usus. Suspicio itaq; non est exigua non esse acorum, gladiolum illum nostratem luteis lilijs conspicuum: quo autem nomine gladiolus talis salutandus sit, in litera χ declarabitur, ubi de Dioscoridis Xyride tractabimus.

Galanga

Xyris.

Acutellam quære in Ononi.

Adiantum Capillus Veneris à Theodoro Gaza interpretatur, & uiret perpetuò. Nomẽ ab euentu duxit, quod folium eius perfusum aqua non

 madescat

madescat radice tam parua ut poßit nulla existimari. Horus Aegyptius scribit upupam auem uuæ morbo tentatam adiantum ori inditum obuersare: qua propter Aegyptij hominem sese sanantem, hoc figurarum inuolucro designant, upupam & Adiantum herbam appingentes. Quamuis aũt ipsius natales sint tum puteorum parietes, tum fontium ac riuulorum margines, nec nisi propè aquas, inq; locis humectis reperiatur, haud aliter quàm si natura aquas sitiat, eas tamen ita odit atq; auersatur, ut ne madefieri quidem ipsarum queat aspergine, quod etiam ueluti miraculum adsignat. Plin. lib. 22. cap. 21. Adianto, inquiens, aliud miraculum, æstate uiret, bruma non marcescit, aquas respuit perfusum mersumq; sicco simile est, tanta dissociatio deprehenditur. Vnde & nomen à Græcis. Dictum enim est ab α & διαίνω quod significat idem quod irrigo uel madefacio, eò quod non madefiat etiam si mergatur. Quem tamẽ effectum experiri uolens Antonius Brasauolus, falsum esse comperit, ideoq; potius ex puteis, quos coronat, & propter id madidam nõ esse, uel quia nunquàm attingit aquas id nomen sumpsisse arbitrabatur.

Trichomanes. Altera species Adianti Trichomanes appellatur, nasciturq; eisdem in locis filici similis admodum parua,

parua, folio à lateribus in uersum & ordinē quendam condito, tenui & figura lenticulæ, contrarijs ex aduerso pediculis. Ramuli ex quibus emicant folia exsplendescunt, graciles, colore, sub nigro, acerbo gustu: cum priore effectu pari. Quæ omnia cum plane ita se habere ad oculum cernantur quiuis facile deprehendit, quæ in Officinis nōnullis exhibetur, & Saluia transmarina uel Saluia uitæ dicitur, non esse uerum Adianton: cum quod non in puteis, fontium marginibus, montium specubus ac locis umbrosis: sed in hortorum domorumq; subaridis muris, & lapidum interstitio hæc producitur: tum quod non sit capillacei generis, sed potius herbacei, folio generis Elelisphaci, id est, saluiæ, maiore, odorato, sesquipedali caule, leniter hirsuto, in quadrangulum striato, flore sub cæsio, in aquilini rostri effigiem falcato, caliculis gallinaceæ cristæ forma. Appellatur secunda adianti species etiam Polytrichon & Calitrichon, hoc est multos capillos et pulchros capillos faciens. Multi pharmacopolæ falso quatuor herbas ostendunt, quum sint duæ tantum, quorum primam Dioscor. describit lib. 4. cap. 131. Alteram uerò capite sequenti: tamen quancunq; speciē acceperis, easdem uires habere deprehendes. Vide Trichomanes.

Adonidis

Adonidis *florem quære in* Anemone.

Affolter *nonnulli* Germanorum, *& alio nomine mystel appellant, quod* Latinis *uiscum quercinum dicitur, de quo plura in* Visco.

Aquileia. Aegylops *Dioscoridis li 4 ca 134 non est Aquileia nobis alioqui dicta, sicut uulgares herbarij docent. Sed illa potius quam* Virgilius Maro *sterilem auenam,* Plinius *Græcam, &* Gaza *festucam & Festucaginem uertit.*

Agallochon Dioscoridis *censetur esse, quod alij lignum* Aloës *uocitant.*

Agnus; *uulgus* Græco *latino nomine agnum castum uocat: est uitex, & radix* Amerina *apud* Dioscoridem *libro. 1. ca 120.*

Eupatoriũ. Agrimonia *hodie dicta, uerum est antiquorum* Eupatorium. Vide Dioscoridis *lib 4 cap 39.* Vide Eupatorium.

Semper uiuum. Aiugam *quære in* Chamepythi.

Aizoon, *hoc est, Semper riuum inde dictũ est, eò quod huic neq; ingens æstus, neq; atrox frigus noceat, supra tecta locis uidelicet aridis, ipsum humidißimum, non sine admiratione progignitur.*

Sedũ Barba Iouis *Aiunt fulmen nõ attingere tecta, in quibus Semper uiuum sit consitum.* Latini *etiam* Sedum, *&* Barbã Iouis *appellant. Cuius triplex genus ponit* Dioscorides

ſcorides. Primum Maius ſemperuiuum, caulem proferens cubitalem, folia pinguia, craſſa, breuia, inſtar linguæ acuminata, formam oculi aut ſtellæ repræſentantia, ſecundum quam ſimilitudinem dicitur Zoophthalmon. Secundum genus Semperuiuum minus, in tectis, ruinoſis muris & umbroſis locis prouenit, paruos cauliculos, craſſa & pinguia folia habens in rotundū acuminata, palmæ altitudine, dicitur etiam uermicularis & craſſula minor, quando luteos flores habet & in ſyluis & præruptis montium creſcit. Tertia ſpecie non utimur, quæ Ανδράχνη ἀγρία id est, portulaca ſyluestris dicitur, de qua bis Dioſc. 2. & 4. libro tractat, ſed quod 2. libro ſcribitur: id totū in quartum referri debet, hac non utimur. Admonuit Braſauolus in examine Simplicium. Zoophthalmon.

Albinum quære in Centunculo.

Alcannam conſtat eſſe Cyprum.

Alcea herba eſt quā Germani ſigmarskraut appellant, cuius dexterrimus eſt uſus in torminibus inteſtinorū, ut eſt apud Dioſc. lib. 3. cap. 155. Huius enim effectus experimento comprobatus eſt nuper in publicis per Cæſarem Carolum quintum habitis Ratiſponæ Bauariæ Comitijs, An. CHRISTI trigeſimo primo ſupra ſeſquimilleſimum.

Vbi quum Dysenteria contagiosa & lœtalis exitialiter grassaretur, hac radice uir eruditus VVenceslaus Cubito regis Ferdinandi medicus, plurimos qui iam inter perditos & desperatos habebantur liberauit & sanauit. Ioan. Manardus lib. 6. Epistola 4. indicat hanc herbam apud Italos Herbam Vngaricam appellari. Officinis uerò hæc eadem sub nomine Simeonis herbæ est cognita. Germani quidam hoch leüchten, quasi altam lucernam cognominant.

Herba Vngarica. Herba Simeonis.

Alcibiadion quod est Echion Diosc. lib. 4. cap. 28. Cordus suspicatur buglossæ nostratis speciẽ esse, quæ Boraginis flores in margine aliquantulum refert, nisi quod profundiores & minus laciniosi sunt. Imò & colore, sed conniuentes adhuc, purpurescunt. Vbiq; ferè ad itinera & asperis locis, imò & in muris nascitur, in Brunfelsianis Tomis pro syluestri buglossa graphice depicta. Eius semen adeò uiperinũ caput exprimit, ut etiam oculi in eo conspiciantur: nimirum cuius uiperina illa capita efficacem contra uiperas facultatẽ indicant.

Echion Borago syluestris. Laus & descriptio eius extat apud Nicandrum in Theriacis.

Alcyonium Galeni & Dioscoridis est quæ à pharmacopolis Spuma maris dicitur. Serapio enim cap. 388. uel potius eius interpres ita appellauit, fortaßis ob hanc causam, quoniam Dioscorides

Spuma maris in durata.

scorides ab indigenis Bembici insulæ Propontidis, alcyonium ἁλὸς ἄχνην, id est, maris spumam appellari scribit, & re uera ex spumæ fieri collisu dicitur. Alcyones autem aues maris tranquillitatem ostendentes, nidos suos illis ferruminant. Plin. lib. 10. cap. 32. ita meminit. Halcyonem auem uidere rarißimum est, nec nisi uergiliarum occasu, & circa solstitia brumámue naue aliquando circumuolantem, statim in latebras abeuntē. Fœtificant bruma, qui dies Halcyonides dicuntur, placido mari per eos & nauigabili Siculo maximè. In reliquis partibus est quidem mitius pelagus, Siculum utiq; tractabile. Faciunt autē septē ante Brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt. Nidi earum admirationem habent, pilæ figura paulum eminenti, ore perquàm angusto, grandium spongiarum similitudine: ferro intercidi non queunt: franguntur q; ictu ualido, ut spuma arida maris. Nec unde confingantur inuenitur Putant ex spinis aculeatis, piscibus enim uiuunt, subeunt & in amnes. Quanquam autē ex his uerbis suspicio oritur sub Plinij seculū nō constitisse, unde Alcyones nidos suos construxerint: Antonius tamen Brasauolus maris spuma pro materia hac aues uti subindicat in fingendis nidis illis, atq; eam ob rem nidum huiuscemodi Halcyones. Alcyones.

modi appellari Alcyonium. Decipiuntur ita q; aromatarij & medici qui putant Alcionium nusquàm uidisse quod non raró suis manibus uersant & tractant.

Epiphyllocarpos uel Carpophyllon

Alexandrina laurus à Theophrasto Epiphyllocarpos nominatur, quod intra duo folia fructum ferat rubicundum, ciceris magnitudine. Nam hoc naturæ miraculo habet, ut ex maiori & uero folio, aliud minus è medio prodeat, linguæ passerinæ non absimile. Duo eius genera sunt. Vnum quod duplici folio, ut diximus, constat, Masculum nominamus, quoniam inter folia semē habet. Aliud quod simplici folio est, fœminā arbitrantur. Apud Germanos nō prouenit: ideò à circulatoribus ex inferiori Pannonia ad nos defertur. Dioscor. probatißimā ex Ida deferri testatur. Siccæ naturæ & calidæ est: faucium ulceribus & humectæ uuulæ est remedio: qua propter à Dioscor. fortaßis &

Hypoglossidion Vuularia.

Hypoglosidion nominatur, & à latinis Vuularia, à Germanis zāpflin kraut & auffenplatt. Virgili Marcellus asserit in Italia adpendi pueris, pro nimia corū humiditate exiccanda. Dioscorides, mulierum menses & urinas promouere scribit Brunfels. Tomo tertio.

Alibium accurate describit et ostendit esse herbam

herbam stellariam, & Bubonium hoc, est, inguinalem, Leonicenus in libro de morbo Gallico.

Alisma seu Damasonium quidam fistulam pastoris dicunt, nulla ad hanc herbam comparatione. Ego hanc herbam esse puto alisma (almea corrupte in uulgaribus herbarijs legitur) quæ similia habet plantagini et in terram aliquando reflexa folia, flores candidos, & post illos in summo (qui cubitalis est) caule enata capitula. Habetq; radices graciles, odoratas, modice pingues ei demum nigro ueratro similes, nisi quod non ita nigricant. Binis tamen & nunquàm pluribus folijs conspicitur, quod eius quasi est proprium, quod tamen Dioscorides in Damasonio, omnino dicendum prætermisit. Neq; iniuste Plantago aquatica, diceretur si non Barba syluana hoc ei nomen præterijsset. Cordus in suo Botanologico.

Damasonium.

Plantago aquatica.

Barba syluana.

Alkekengos quære in Halicacabo.

Allium agreste cuius meminit Plinius dicens ipsum esse placidi odoris, capitulisq; teneribus & folijs magnis Vrsinumq; uocari ostendens: cuius & Dioscorides mentionem facit, sed non pingit. In summis Heluetiorum alpibus folio, radice, odore & sapore nascitur herba allio respondens

Allium ursinum

c

respondens. Heluetij Ranserem appellant, quod inditum lacti coagulat ipsum. Quidam ipsorum etiam agreste allium uocant. Brunfelsius Tomo tertio Sunt & qui Germanice rampum appellent.

Allium ursinum quære in Alio agresti.

Aloës ligni D. Roterod. in Problematis ita meminit. Britanniæ regis aulicus lignum ostendit mihi eius arboris quæ fert Aloën, adeò solidum ut lapis uideri posset, adeo uerò manus libranti leue, ut arũdo leuior nõ reputaretur, et si quid sicca arundine leuius. Impositum uino (putabat enim ita depelli uenena) mox properabat ad fundum ut uix plumbum celerius.

Alphiton Latini polentam appellant, est autem medicis fricta ordeacea farina.

Althea Euiscus & Hibiscus etiam appellatur, ab excellentia autem effectus, ut tradit Plinius Althea dicitur: nam ἀλθαίνω uel ἄλθω idẽ quod curo aut medeor significat, unde & ἀλθεὺς idem est quod medicus.

Alsine duplex est, quantum ex recentiorum medicorum pugnis et controuersijs deprehendere licet. Maior quæ Matrissylua, minor quæ altera Auricula muris cognominatur.

Amaracus in Galeni uoluminibus est eadẽ

Matricariæ

Matricariæ, & Parthenio Dioscoridis. Virg. Marcell. Oculum solis interpretatur: sub Aneæ filium Ascanium auia Venus, ut Virgilius canit, occuluit. Cognominatur insuper & Samsychon.

Amaranthos Galeni & Heliocbrysos Dioscoridis est officinarum Stoechas citrina: & est duplex, purpurei scilicet & aurei floris: ille quidem nullo, hic autem non iniucundo odore. Interponitur uestibus tum hanc ob causam, tum quod à tineis eas tueri creditur, ob id etiam Tinearia à plerisq; dicta Alter autem purpurei coloris flos amoris etiam appellatur. Theophrastus namq; tradit gratiam & uitæ gloriam eum consequuturum, qui Heliochrysi floribus coroneiur.

Amerina salix habetur in Agno.

Amianthon quære in Lino.

Ambrosiam Dioscoridis li 3 ca. 120 Hermol. Barbarus putat peregrinam esse orbi nostro, & Cappadociæ potius familiarem. Frequens enim & notum ubiq; ambrosiæ, inquit, nomen, ignota tamen res est, & inter herbas non facile inuentu. Alijs Artemisiam dicentibus, alij trium dodrantum altitudine ostendentibus ramosam herbam semine per totum caulem racemoso, sed maioribus quàm rutæ folijs, nunquã florentibus racemis

languinosis papposisq; nullo nec uini nec alterius rei odore. Ex Plinio deprehenditur uagum per per multa Ambrosiæ nomen esse, plantas, cibos & pocula eò usq;, ut Athenienses hoc nomine omnigenas fruges, oleum, uinum, laticesq; alios, quos dijs in ara offerrent Ambrosiā nominarent. Nobis inclinat animus ut peregrinam nostro orbi, peculiaremq; Cappadociæ herbam putemus: nam quæ à nostris herbarijs hoc nomine ostenditur, uulgaris et ubiq; nascens inuentu facillima est, præsertimq; ex capitulorum racemis, quos habet pappis plenos

Tanacetum

nunquàm à nobis florere uisos Vulgo Tanacetum dicitur &c.

Ambubeiā quære in Seride, est enim agreste Cichorium, quod Germani wegwart appellant.

Hierichuntis rosæ.

Amomum, Hierichuntis rosa à quibusdam esse creditur, quæ in natali CHRISTI nocte aspergine aquæ adhibita aperitur, uocaturq; & rosa Hierosolymitana: quoniam ipsam ex Hierosolymis adferunt peregrini, à mulieribus Rosa sanctæ Mariæ nominatur, quamuis nullam habeat cum rosa similitudinem Semina autem illa nigra & inodora, quæ à pharmacopolis publice uendūtur non sunt semina amomi, ut Antonio Brasauolo uidetur, neq; rosa illa Hierichuntis est Amomū ex

hoc quia

hoc, quia nō uulnerat nares odore, cuius in satis re centi periculum fecit, nec habet origani acrimoniā, nec folia sunt bryoniæ similia, quum & Amomum ueluti una sit, sicut Plin. li 12 cap. 13 testatur, et Andromachus in descriptione Galenæ. Galena Andromachi.

Ammi: sic enim dicendum est, à quo gignendi casus formatur ammeos: semen albū est, quod Origani saporem habet calidum & siccum in tertio ordine. In Aethiopia nascitur propè Alexandriam Aegypti. Græci hoc semen ponunt in panibus suis, ut de fœniculo semine apud nos usus est, quo gusti sint gratiores. Pharmacopolæ non habent uerum ammi, sed plurimi semen Cerefolij pro Ammi ostendunt. Anton Brasauolus ex Galeno & Dioscoridis li 3 capi 68. Ruellius etiam Ammium uocari ostendit.

Androsace à Cordo alijs creditur esse Cuscuta. Brasauolus negat, quoniā uidit Androsacē in Istria, siquidè Plin. referente Istria est Androsaces feracissima, atq; hæc habet radicē sapore præditā amarissimo, qua occasione à Græcis Picris appellatur.

Androsæmon Hypericum uulgatū esse existimant Manardus & Euricius Cordus.

Anagallidem Dioscoridis uulgus Morsum gallinæ & Hippiam uocat.

Ανδράχνη est quæ Latinis dicitur Portulaca.

Anemone Dioscoridis à multis papauer rubrum existimatur, ut inquit Manardus. Etymi ratio est, quia nunquam aperitur nisi flante uento. Anto. Brasauolus, Non tamen hoc dico, inquit, quinetiam nouerim, esse agreste papauer, uel Papaueralida, de quo Dioscor. distincte ab Anemone tractat. Verum quod rubrum papauer dicimus, est Dioscoridis Anemone: quippe erraticum papauer duos tantum colores habet, rufum & candidum Anemone uerò plures & præsertim rubrũ. Species eius duæ sunt. Syluestris, id est sponte incultis nascens, & quæ in in cultis nascitur. Syluestris in rupibus prouenire potest, quæ & frequenter parietes ascendit, quæ et efficatiores uires habet quàm cultis locis nascens. Aliquæ puniceos flores habẽt, aliquæ subalbos, aliquæ lactescentes, aliquæ purpureos. Nos Anemone utimur flores rubros habente, in Tritico plurimum nascente, quam Dioscorides τὰ ἄνθη φοινικᾶ, id est, flores puniceos habere dicit. Ethnici hunc florem Diti, id est, Orco inferorum deo sacrũ, eidemq; ex hoc flore in templis & theatris tunicas fecerunt, unde & Orci tunica appellatur. Fabulantur etiã poëtæ hunc florem primũ ex sanguine Adonidis exortũ. Hinc facile

Meminit Erasmus in Chiliadib. in prouer. Rosam cũ Anemona comparas.

Orci tunica, Adonidis flos.

scrupulus

scrupulus dissoluitur quorundā qui hunc florē putant esse eū, quæ est apud Dioscoridē Anemone: rursum uerò torquentur propterea quod nō desint qui Papaueri erratico quadrare id nominis attestentur.

Angelicam quære in Smyrnio.

Antheræ nomine recentiores flores rosæ appellant, & in morbis utuntur qui adstrictoriam uim ualde desiderant, qua præcipue flores pollere Galeni testimonio demonstrantur. Quod & nomen ipsum manifestat, cum ab eo quod est ἄνθος ῥόδον, id est, flos rosæ deductū uideatur. Manardus lib. 4. epist. 3. Et lib. 8 epist. 1. Antheras inquit, uocant medici compositiones quasdam ægritudinibus oris accōmodatas, quibus rosæ miscentur, quò fit ut nō floridas Antidotos pro Antheris reddendum putem, sicut fecit Virgil. Marcel. lib. 1. cap. 115. de Rosis: sed uoce itidem utendum, qua & Latini sunt usi, præsertim Cornelius Celsus, diuersas Antheræ scribens cōpositiones. Apud Galenū tamē latius patere uidetur antheræ nomē lib. 5 de Cōpositione Medicamentorū κτ̀ γένη. Vbi & hoc annotatione dignum nobis est uisum in omnes omnium Antherarū cōpositiones ingredi sandaracham, unde putare quis poterit illisce cōpositionibus à florido colore potius quàm à rosæ floribus Antheræ nomē esse impositū.

Anthos habetur in Libanotide.

Anthemidem quære in Chamemalo.

Cynocephalea. Anthirrhinō quære in Lychnide agresti. Herba est quæ Orant dicitur, & forte eadem est Cynocephaleæ. Habet enim uitulina capita adnata, Bucranion. et nares patulas: quare Galenus Bucranion uocat. Theophrastus. promittit ei qui illo ungitur gratiam conciliari.

Herba S. Christophori. Antipater surculosus & flore luteo est, quasi Cunilaginis minore folia Rorismarini elatiora, minusq; longa, Christophorianam & Oculum Oculus consulis. consulis nonnulli uocant. Huius illa proprietas, quod flores postnascentes altius tolluntur quàm prius nati. Multa sunt tamē inter hanc & herbam Impiam, cuius Plin. lib. 24. cap. 19. meminit, discri Impia. mina. Primum quod Impia incaua herba est, Anz Filius ante patrem. tipater non est. Alterum quod trita nō feruet inter duos lapides sicut Impia. Tertium quod nec capiz tula, nec thyrsos gerit, sed flores duntaxat. Satyriam sunt qui uocent, quod antea floreat, quàm folia producat. Pandectarius filium uocat ante paz trem, floris Buphthalmi, cuius stipites faciunt raz Oculus Christi. mulos plurimos, sed ramus post natus, excedit lon gitudine ante natum, ob hoc filius ante patrē dictus. uel Oculus Christi. Hermolaus Barbarus.

Aparinen

Aparinen Pandulphus Collinutius Lappagiam uocari scribit, & ferè Mercurialis folia habere, asperum & retinax semen retinere, à Plinio inter Parthenij genera numerari. Equidem lib. 21. cap. 17. in uera lappa, inquit, nascitur flos occultus, qui semen parit, ut animalia quæ intra se pariunt. Maior & minor reperitur, sed uera lappa rotunda est. Aparinen Brunfelsius in erratis Tomorum suorum, adserit esse Rubeam tinctorum.

Apiastrum, Vide in Citragine.

Apium absolute dictū, hortense intelligendum est, quod σέλινον κηπαῖον à Dioscoride nuncupatur, à nostris uulgaribus Petroselinon dicitur. Semina uerò quæ à pharmacopolis passim colliguntur Eleoselini sunt, id est, palustris apij, quod satiuo maius est, & amat umbrosa & aquosa loca, Tamen quum & Apium satiuum, id est, nostrum Petroselinon & Eleoselinon easdem uires habeant, ut Dioscor. fatetur, ideò non multum refert utrum eorum sumatur. Hactenus Brasauolus, cuius sententiæ nimirum fuit & Ioan. Manardus. Vide plura in Petroselino. Est enim apium εὔοδμον, id est, gratum odorem spiritus, quod Theocritus testatur in 3. Idyllio. Sed uulgatum apium est inodorum.

Petroselinon.

Apios est raphanus syluestris, sic appellatus, quoniam rotundam instar pyri habet radicem.

Hyoscyamus. Iusquiamus

Apollinaris herba est Hyoscyamus apud Dioscoridem lib. 6. cap. 16. Officinæ corrupte Iusquiamum appellant. De cuius ueneno tempestiuum mihi uidetur huc adscribere carmina Nicandri, quibus admoneri possunt parentes, ut ipsis sit magnæ curæ, ne ludentes pueri per imprudentiam, ut fit, semina hyoscyami deglutiant: inquit itaq; in Alexipharmacis.

Ne quis item incauto non prudens ore nocentem
Sumat hyoscyamũ puto nõ minus esse monendum,
Ceu fatui pueri qui iam nutrice relicta.
Et primis positis cum infante ætate capillis,
Iam non quadrupedes proprio procedere uisu
Incipiunt, multo quod non potuere periclo,
Harum ignorantes quoniam illi incõmoda rerum
Conspicuam nocuis degustant floribus herbam,
Atq; terunt nato nuper mala semina dente,
Hinc tumidas misera gingiuas uoce queruntur.
Hoc aduersus erit bona lac medicina uenenum,
Interdum Græcum quod dicunt nomine fœnum
Accipe, curuatis insignem cornibus herbam.
Quæ tum maiorem narratur habere uigorem,
Si bene Palladio perfusa liquore natârit.

Vel

Vel calidæ feruens urticæ contere semen,
Vel cruda eiusdem folia herbæ mande, uel ipsum
Ex his contusis expressum collige succum.
Deniq; Cichorium, & Nasturcia, Persæumq;
Accipe, & omnibus his æquali pondere misce
Eliciens lachrymas semel, similiq; uigore
Prædita cœparum præsegmina, rusticiq;
Taleolas raphani, Latiæ hæc Radicula genti est.
Hoc etiam aduersus uidi prodesse uenenum
Multifidi caput, in uino si sumitur, alli.

Tres hyosciami species ponuntur apud Dioscoridem. Vna flore purpureo, semine nigro. Altera flore luteo, semine flauo. Tertia flore & semine candido. Duæ priores species insaniam conciliant. Tertia apud medicos est in usu. Vbi tamen illa destituimur quæ florem albam habet, florem luteum habentē accipimus, magis quàm quæ purpureum.

Aquilegiam quære in Aegylope. Euricius itidē Cordus in sua Epitome, inquit. Quam hanc Aquileiam apud Dioscoridem esse putem, dicam cum didicero.

Arbuti uel Iomali quod idem est, fructus, ita capiti & uentriculo nocet, ut unedoni ei sit nomen, ex argumento, ait Plinius, unum tantum edendi. Arbutum autem unedonem appellant non uerè:

nam

Epimelis. siue Setanium esse Vnedo nem.

nam hoc nomen Epimelidi Galenus tribuit, cuius lib. 1 cap. 138 Dioscorides mentionem fecit, sed inter mespila retulit, & quia ferè similia poma, similes uires habent, non mirum si eodem etiam nomine appellentur. Cordus.

Personacia Tußilago.

Arctium uulgata Bardana credi potest, quæ & lappa maior dicitur Vngulæ species, sicut & alia quæ Personacia & Græce Proscpis appellatur. Tußilaginem autem uulgo uocatam Vngulam esse persuaderi potest, generis uocabulo ad speciem translato. Plura inferius in Tußilagine.

Argallicum ueteres appellauerunt Consolidam maiorem, ut est apud Cœlium Aurelianum medicum Thessalium.

Argentinam herbam quære in Asplenio.

Armeniaca mala fructus illos censet esse Cordus, quos Germanice Amarillen nominamus.

Arnoglosson. Dioscorid. lib. 2. cap. 115. appellat Latini Plantaginem uocant, & dicit hanc etiam Arnion & Probation & Cynoglosson & Heptapleuron, quasi septem laterum, & Polyneuron, id est, multineruiam uocari. Plinius neruialem appellat et Scribonius πολύνευρον. Quæ si à prima luce ieiuno uentriculo comesta sit, ad XXX diem sumere Epilepsiam, ægro uinum discutere.

Hoc

Hoc memorabile addendum huc duximus mediam quandā plantaginē paßim reperiri inter plantaginem maiorē et minorē, quam tamen neutram harū queas adſerere. Nam quod ad quantitatem ſpectat neq; maior dici poteſt neq; minor. Quarum utraq; folia habet glabella, Medica autem illa aſperiora & quaſi hirſuta eſt ſortita. Deinde illorum folia magis ad uirorem uergunt, huius autem inclinant nonnihil ad alborem quendam. Ad conglutinanda ulcera hæc aliquanto præſtat alijs duabus amplius, eò quod calidioris & ſiccioris intemperiei naturam ſit adepta, Aëtius lib. 14. cap. 46. Vermes in ulceribus exortos interficere tradit plantaginem areſactam.

Huius Arnoglosſæ meminit Auicenna lib. 2. cap. 4. 39.

Ariſtolochiam quære in maloterræ.

Aron & Dracontium quidam ob ſimilitudinem idem atq; unum ſimplex eſſe pronunciauerunt. Ex Dioſcoride lib. 2. cap. 150. 151. 152. cognoſcuntur differre. Exilit autem ſtatim in Martio Aros inter primas herbas Veris, diſperit in Iunio. Obijcitur quod Dioſcorides tradit radicē Ari eſſe edendo, noſtrū uerò omne adeò gurgulionē adurere, ut nihil ſupra. Ad quod ita reſpondet Brunfelſius liquere multa nobis in ſcriptoribus pugnantia uideri, quæ ſi ad cœli regionumq; mutationem

reſpexe-

respexerimus, nullã prorsus habere pugnantiã. Cæterum quod Plinius huic radicem nigram esse dixit Plinium, ut plerisq; in alijs ita hoc loco hominem esse, falliq; & labi potuisse &c. Congeneres tamen sunt Aros & Dracontium, solaq; magnitudine & coctura inuicẽ distant. Ari enim folia sunt minora, neq; adeò maculosa, caulis dodrantalis, purpureus, pistilli figura, radix candida &c. Sed Dracontium locis natum umbrosis, caulem habet rectum, bicubitalem, baculi craßitudine, uersicolorem, draconũ maculis, similitudine cutis anguinæ folia rumicis, sibi inuicem implicita Fructũ in summa fert, ut Amomi racemosum, pistilli figura, excepto colore, qui antequàm maturuerit, cinericius est, postea croceo colore redditur, Breuiter Aro, exceptis punctulis, maculis et folijs, per omnia simile. Aron Arabes Lupham cognominauerunt. Germani Pfaffenpind.

Chamæcisson Græci alio nomine etiã Cissophyllon appellant.

Asam *non esse Laser aut Laserpicium, quære in Lasere.*

Asclepias *non est ea quæ nostris Germanis Gundelrebẽ uocatur & à plerisq; Hedera terrestris creditur fortaßis falso. Quoniam Chamæcißi et similia aliquatenus hederæ longiora tamen tenuioraq; & fastigiata sunt folia, quæ in hac*

herba

herba rotundiora, et in circuitu incisa uidētur. Flos quoq; in hedera terrestri, neq; figura, neq; colore respondet: quoniā albæ uiolæ similis esse deberet, seu ut alij uolunt luteus. Huc addendum quod licet parum de colore referat, eò quod is secundum diuersas regiones in eadem sæpe herba mutatur, tamen sapor qui fallere non potest dissidet. Is in Chamæcisso egregiæ amaritudinis est huius autē herbæ tam dulcis uel saltem adeò nō ingratus ut acetarijs misceatur. Neq; graue olentem, nec rosæ similem, qualem Asclepias, florem habet, nec in montibus ut illa, sed decliuibus frequenter & humidis locis, & iuxta sepes & dumeta nascitur. Germanicum tamen nomen non adeò à terrestri hedera abludit quo Grundreben quasi humi repentē uiticulā dixeris, appellatur. Corruptum tamen paulatim, id est ut iam Grundelreben dicatur. E. Cordus.

Ascyron Brasauolus rutam syluestrē ab antiquis appellatā admonuit. Quā recentes ex foraminibus, quæ in folijs uidentur, se è regione solis alterius conspiciatur. Perforatam uocant. Describitur à Dioscoride lib. 3. cap. 163 herba Sancti Ioannis et fuga dæmonium uulgo appellatur. Ruta syluestris. Perforata.

Aspalathus arbor ignota nobis, quam Arabes Darsi saban uocant. Manardus aut hoc

tempore

tempore ignotam, aut Sandali uocati ſpeciem putat Antonius Muſa negat, Vide inferius in Sandalis.

Aſphodelus *Anthericon Græcis, Albucus & haſtula regia Romanis dicitur, & fortaßis Affodillus noſtras non eſt, qui à nonnullis Centum capita inſcribitur. Braſauolus in Examine ſuo ita commeminit. Radices aſphodelo aßignat Dioſcorides plures, oblongas, teretes, glandibus ſimiles: mihi uidetur radicem unam habere, à qua plures prodeunt, quarum quælibet Pœoniæ radicem imitari uidetur. Sunt enim longæ & rotundæ, ſed ſi tractentur mollis. Quandoq; digitales radiculas, uel bulbos, qui ex craßiore radice prodeunt, ſexagenarium numerum excedere uidimus. Plinius fatetur quandoq; autumno colligi Aſphodelum, à cuius radice octoginta adnati bulbuli in aceruum uiſi ſunt. Et quamuis Albucus appelletur, Plinius tamen eius caulem Albucũ, ipſam uerò totã Haſtulam regiã dici mauult. Fuere tamen qui duo genera facerent, per Albucum candidum intelligentes ſcapum paulò ampliorem habentẽ, purum & leuem: per Aſphodelum uerò & haſtulam regiam eam quæ acinoſum caulem habeat. Nec defuere qui in marem & fœminam partirentur.*

Centum capita.

Albucus haſtula regia.

Aſplenium *eſt herba folijs ſcolopendræ uermi*

uermi similis, quæ à nostris Citrac, ab alijs herba argentina uocatur. Manardus lib. 14. epistola 4. Brunfelsius in erratis suis contendit uerum scolopendrium esse. Dioscoridis Asplenium folijs multis, Scolopendræ animalis similibus à radice una prodeuntibus: cui folia sint filiculæ modo diuisa, neq; caulē, neq; florē, neq; semen habens. At ceruina lingua ea est, quam Dioscorides Phyllim & phillitim appellat. Asplenon itaq; scolopendræ similia habet folia: est autem uermis scolopendria multis pedibus, quibus non aliter ac nauis remigio suo progreditur, ut ait Nicander: quam herbam tradit Dioscorides Polypodij modo incisuris diuisam esse, quod de uulgata ceruina lingua minime dici potest, ob id uerò Pteryga eam etiam Greci uocant à pinnis scilicet quas instar filicis habet: quare nonnulli saxatilem filiculam appellant, & germanice Steinfarn. Cæterum Nicandri poëtæ locus de Scolopendra bestiola habetur in Theriacis, quem non alienam ab instituto nostro esse rati sumus, ut hic subscriberetur.

καὶ ἀμφικαρὴσ σκολόπενδρα,
Η τε καὶ ἀμφοτέρωθεν ὀπάζεται ἀνδράσι κῆρα (σκ
νῖπες θ' αἳ σπέρχονται ὑπὸ πτέρα θηρὶ κιού=

Cordus ita latinis commutauit carminibus.

Quid item dissecta caput Scolopendra,
Quæ sua sic, quando prorepit, brachia profert,
Vt properans nauis pellentes æquora remos.

Hoc est, cuius euntis alæ, ut remi nauis, festinant, quasi dixerit, ut nqualia, seu remi nauis festinant & aguntur celeriter, ita duo Scolopendræ capita mouentur. Vel quod pedum multitudine Scolopendra, ut nauis remis agatur.

Vide plura in Bubonio

Aster Atticus, inguinalis, bubonium & Alibium, hæc nomina idem significant. Licet Pandectarius secutus Serapionis errorem Eringium à Bubonio siue herba inguinaria non distinguentis Alibium Eringium interpretetur. Leonicenus in libro de morbo Gallico.

Astragalon herbam apud Dioscoridem lib. 4. cap. 60. notam aiunt Germaniæ inferiori, quæ eam uocitet, erdmotten uel Moren. Alij castaneas Salandunas nominant.

Attractilis habetur in Cnico.

Atriplex Græco nomine Chrysolachanon quasi holus aureum appellatur.

Auenam sterilem quære in Aegylope.

Auis linguam quære in lingua auis.

Aureliam uide in Stoëchade citrina.

Auricula

Auricula muris à Græcis Myosotis dicta, eadem est quæ ab eadem gente altero nomine uocatur Alsine. Et quia Alsine à syluis deriuatur: nam ἄλσος apud Græcos idem ualet quod nemus: fortaßis hæc fuerit quam Germanice walt meister, id est, syluanam uocamus, nonnulli Matrem syluiam: nisi illud obsistat huic sententiæ, quod matris syluiæ folia murium auriculas & helxinen non satis imitentur, quæ stellæ modo circa caulem quadruplici fermè ordine deinceps disposita longaq; & tenuia sunt. Altera autem herbula quæ simili tum specie tum lanugine nomen auriculæ muris representet, à Germanis quidem meuserlin id est, murina auricula nominata, non tamen ea est quam Græci myosotida, & id eorum nomen interpretantes Latini muris auriculam uocant. Errantq; ob id qui hāc pilosellam (sic enim à Latinis nominatur) cum auricula muris confundunt, & easdem facultates habere tradunt.

Alsine.

Mater sylua.

Pilosella.

Cordus

d

Bac

B

BAccharis non est eadem cum Asaro, ut recentiorũ permulti putant, quorum errorem non difficile fuerit explodere. Nam Baccharis radix ueratri nigri æmula, cinnamomi est odore: radix uerò asari exilis est in anfractum nodosa, nardi odore. Folia illi scabra uiolæ & uerbasci magnitudine, huic planè læuia & prorsus hederacea. Illa ramosa, cubitalis: hoc foliosum, humile. Errant præterea qui baccar rusticam nardum appellant. Nostrates officinas Ruellius ignorare Baccharem testatur: rura uerò appellare diuæ Mariæ Chirothecas. Plutarchus Symposiacorum tertio demonstrat ligustri florem, crocum & Baccharem odore somnos allicere, & ad placidã quietem potos perducere. Causantur enim lenẽ auram ac blandum odoris effluuiũ, quo in temulentorum corporibus orbortæ inæqualitates aspritudinesq; sensim dißipentur, & exterantur, conciliataq; tranquillitate crapula retundatur excoquaturq;. Bacchare insuper fascinum depelli Virgilius autor est, dum ita canit.

Modus & ratio temulentos consopiendi.

Bacchare frontem.
Cingito, ne uati noceat mala lingua futuro.

Nicolaus autem Leonicenus Baccharem eam

esse putat

esse putat quam uulgus Italorum Sclaream uocat non tamen eam quæ Asprella appellatur inter Equiseti species reponenda: sed herbam illam magnam, quæ purpurascentes in album flores facit, herba Sancti Iohannis Ferrariæ uocata, quam Simon Genuensis Centrum Galli aut Cristam Galli nominat, quæ duplex est, Hortensis & syluestris: non est tamen Alectorolophos, quam Plinius cap. 5. li. 27 describit, quanquàm id putauit Genuensis. Sclarea. Asprella. Centrum galli. Cristam galli.

Balanon Myrepsicam apud Dioscoridem lib. 4. cap. 154. id est, unguentariam glandem, definiunt esse Ben uel Beben officinarum, quam constat nequaquàm esse Myrobalanon.

Ballote inquit Otto in tertio herbarij sui Tomo, absq; cõtrouersia est Prasium fœtidum nemini non cognitum, cœmiterijs & umbrosis locis frequens Schwartz andorn, stinckender andorn, Quadrant enim omnia cum uerò marrubio quam nos fœminã hodie uocamus, excepto nigrore atq; uirosiore fœtore. At uerò Brasauolus Balloten inquit, quam Dioscorides lib. 3. cap. 108. describit, illam suspicor quæ à nostris urtica mortua & iners urtica uocatur, quæ folia urticæ habet, sed non pungentia aut adurentia. Vnum enim admonere uolo Plinium præter duo genera Mar-

rubij, album & nigrum Balloten tanquàm quoddam diuersum scripsisse.

Balsamum quære in Opobalsamo.

Balaustia sunt flores syluestris punicæ, sicut Cytini domesticæ & satiuæ. Sydiæ uerò appellantur cortices mali punicæ Manardus & Dioscorides lib. cap. 133.

Barbam Iouis quære in Aizoo.

Bardana uulgata est Arctium Diosco.

Barbam syluanam quære in Alisinate.

Basilicon officinarum creditur esse Ocymum Dioscoridis lib. 2. cap. 130. Basilien kraut.

Batin quære in Cretamo.

Manardus Batrachium Dioscoridis à nonnullis adscritur, quem uulgus appellat pedem columbinum. Alij Ranunculum hunc ipsum, pedem coruinum & flammulam interpretantur.

Baptisceculam quære in Gariophyllo,

Barocum latine & Germanice Binsugen hoc est, apisugium. Cordus diuinat esse Galiopsin Nam huic grauis odor qui Galipsi tribuitur non deest. Brunfelsius uidetur per Galiopsin dictam scrophulariā innuere, quam si Diosco. intellexißet testiculatas illas radices, quibus maxime indicari poterat, non præterijsset: ut illa, quæ dum matura est, habet capitula taceam.

Galiopsis.

Bechi

Bechion latine nominatur Tußilago, farfarella & ungula equina terrestris, à Germanis eselhuf. Nam uehementißime tußi succurrit si per infundibulum fumus suscipiatur & deuoretur. Propterea quoq; apud Germanos etiam brandlattich appellari solet: ac si dicant lappa quæ comburendo administratur. Recentiores hac utuntur non infœliciter in eodem affectu & in multis pectoris uitijs, administrantes eam tamen quocunq; alio magis modo, quàm per adustionem. Farfara alio nomine dicta est. Nam farfarus, ut est apud Plautum populus dicebatur apud ueteres, quia populi folium refert, ut habet Dioscorides lib. 3. ca. 117. de Tußilagine. Tußilago. Farfara.

Ben uide in Balano Myrepsica.

Behr wurtz habebitur in Dauco Cretico.

Berberi, fructus Spinæ quæ à Dioscoride appellatur Oxyacantha, hoc est, acida spina erbsel saurach & weinlegelin à Teutonibus cognominati. Berberi tamen & Berberion genus etiam conchæ est, ex quo margaritæ sumuntur, quorum caro inter epulas gratißima est. Ex ijs autem conchis eximuntur uniones, margaritæ dictæ & Teutonice, Perlæ Colliguntur in Indico & Britannico mari. Consule C. Plinium lib. 9. cap. 35. Berberion.

Betonica *ea est herba quam Græci* Ceſtron, *& nonnulli inter Latinos Serratulam uocauere, ut Plinius teſtatur, quia circum circa in morem ſerræ diuiſa eſt.* Auerrois *libro 5. cap. 41 ſuorum Collectaneorum falſus fuiſſe uidetur, dum* Betonicam *in quarto ordine calidam & ſiccam adſtruit. Cæterum* Betonicam *albam conſtat non eſſe herbam Paralyſis, licet hoc in primo* Tomo *adfirmauerit* Brunfelſius. *Fatetur enim erratum in ultimo* Tomo, *atq;* Betonicam *albam raram quidem inuentu, cæterum alteri* Betonicæ *per omnia, præter quàm quod ſit flore albo, ſimilem adſtruit.*

Bezed & Albezed *non eſt* Keiri *uel* Leucoion, *ſed quædam* Anagallidis *ſpecies quæ rubicundum florem profert.* Manardus.

Biſtorta ſiue Bitorta *non eſt ut creditur, ſerpentaria, ſed potius herba illa quæ* Britannica *dicitur.* Hanc opinionem Cordus *ſuſtinet ſolus, quanquàm eandem poſtea deſerere uidetur.*

Manardus hanc à Galeno Bunion & Arction appellatã putat.

Blattæ Bizantiæ *ab eruditioribus apellantur* Vngues *odorati.* Apud Dioſcoridem Onyx, *& apud aliquos conchula* Indica *fortaßis.*

Blitũ *uiribus noſtræ* Spinachiæ *reſpondet.*

Branca *urſina* Romana *eadem creditur quæ* Acanthus *ſicut teſtati ſumus ſuperius in* Acantho.

Topiarijs

Topiarijs autem operibus additum fuisse testatur Virgilius, primo Aeneidos dicens:

Mirantur Tyrij dona Aeneæ, mirantur Iulum
Flagrantisq́; dei uultus, simulataq́; uerba,
Pallamq́;, & pictum crocco uelamen Acantho.

Brassicam arborescere Venetijs, scribit Manardus, uidisse nanq; se illic quæ multas arbores æquárit, quasdam etiam superárit: holus, uulgare quod Germani kôl appellant. Marinam uerò Dioscoridis Brassicam medici hodie appellant Soldanellam, Vide Caputium.

Britannicam quære in Bistorta.

Bruscum uocant officinæ quam Dioscorides lib. 4. cap. 141. ruscum, id est, syluestrem Myrtum, Græce Myrsinen agrian & oxymyrsinen nominat.

Bryon Dioscoridis & Plinij est Corallina officinarum, muscus uidelicet natus ad lapides & testas in mari, efficax contra Vermes puerorum. Manardus. Corallina.

Bryonia est uiticula, uitis alba, & Ampeleleuce apud Dioscoridem lib. 4. cap. 176.

Bubonium quod describit Galenus lib. 6. Simplic. Medicam. After Atticus nuncupatum & à Latinis Inguinaria: quoniam teste Plinio lib. After. Atticus. Inguinaria

27. cap. 5. inguinum est præsentaneum remedium, nec ob id tantum quod illitum, sed etiam quod suspensum bubonibus opitulari creditur: & dicitur ab Arabibus Alibium. Pandectarius non bene fecit diuersa. Plura superius in Alibio & rursus in Astere Attico.

Alibium.

Bucranion à Galeno dicta est quæ Antirrhinon etiam Græcis dicitur & à quibusdam hodie Orant, quam Virgil. Marcellus cum ætatis nostræ herbarijs quibusdam hederacei folij similitudinem habere tradit. Quum tamen Dioscorides Anagallidi, Theophrastus uerò Aparinæ id comparet. Habet autem adnata uitulina capita, unde Bucranion dicitur, & patulas in eis nares, ob quod antirrhinon uocauere. Quum autem foliũ eius lino magis simile uideatur, suboritur suspicio nunquid Antirrhinon eadem Cynocephaleæ herbæ sit, à similibus scilicet capitibus, quæ eadem & Osirites, quod Osirim, id est, linariam ferè exprimat, dicitur. Cordus.

Antirrhinon.

Buglossum esse eam herbam quæ uulgo Borrago dicitur, recentiores Medici uno ore constituunt, idq; ex Dioscoride, quum libro quarto capite 129. ex Ruelliana translatione dicat. Buglossum Verbasco simile est, folium in terra sparsum, nigrius

ſum, nigrius, aſperum, bubulas imitans linguas. Quod in uinum deiectum animi uoluptates auget.

Bugloſſum uerò uulgare Nicolaus Leonicenus Cirſion Dioſcoridis eſſe putat. Bugloſſam item ſyluestrem abſoluimus in Alcibiadio. De cuius ſyluestris Bugloſſæ radice experimento conſtat indubitato, quod ſi animali fuerit appenſa, cuius ulcus aliquod uermibus ſcateat, per ſe & ſua ſponte uermiculos illos deciduos futuros, atq; ulcus eiuſcemodi relicturos.

Bulbus agreſtis Dioſcoridis Colchicon eſſe cenſetur, Teutonibusq; Herbſtblůmē et Zeytloß uocatur.

Bunias, Napy ſylueſtre & Bunion habentur in Napi.

Buphthalmum quære in Cotula fœtida, non enim eſt eadem cum Chryſanthemo, ſed quæ Germanice Kwebill, id eſt, uaccinium Anethum dicitur, uel etiam Cotula non fœtida & Oculus equinus, ad Steatomata diſcutienda, quæ Cordus naſſel interpretatur utilis.

Burſam paſtoris quære in Thlaſpi.

Bync eſt ordeum madefactum quod germen emiſit, ut ſcripſit Aëtius lib. 10. cap. 19. quod

deinde una cum enatis ligulis tostum est, tritum pro cataplasmate impositum, œdemata cohibet. Ex quo loco Io: Cornarius conijcit Bynen esse id quod Germani Maltz appellant. Alludere autem ad Bynē appellationem ceruisiæ ipsius Germanicā, uidelicet Byr, quæ ex Byna Aëtij conficiatur.

C

CAlamū odoratum Manardus se nunq̄ uidisse testatur. Hermolaus Barbarus Acorum esse putauit, & eo ipso Manardus Acori loco consueuit uti.

Calamintha, inquit Musa Brasauolus, à menta nomen habere uidetur, tamen reuera nō habet cum Menta figuram. Inueniunturq; tria genera calaminthæ: Montanum scilicet, quod ocimi folia præ se fert, alterum odorem pulegij. Tertium quod folia mentastri longioraq; tantum habet, à Latinis omne genus Nepeta nuncupatur, quamuis peculiari nomine secundum genus à Romanis Nepeta dicatur, Vide Mentam.

Caltham non esse Garyophyllon uulgatū quod quidam uoluerunt, in dictione Garyophylli indicabimus, & docuit idē in Palinodijs suis Brunfelsius. Verum ex li 21 cap 6 Plinij palam fit Caltham esse uiolæ speciē, eamq; luteā & graui odore: Vnde

Vnde conijcere datur Caltham esse Dioscoridis Leuconion præsertim tertij generis, luteis floribus & odoratis, præcipui in Medicina usus.

Canellā quære in Caßia, & rursum in Sio.

Cappillus Veneris adianton Polytrichō & Trichomanes constituitur apud Dioscoridem.

Calendulam uide in Leontopodio. Errant qui Calendulam aliquibus solis sponsam dictam Heliotropion esse censent. Quamuis enim flos ortu solis aperiatur, & occasu claudatur, ideoq; solsequia, uel solis sponsa, quod expergiscatur & occubet crepusculis sopita, desiderio quodam redeuntis syderis excita: item perdius atq; fœdere quodam amoris intueatur solem, ob id amica solis aliquibus dicatur: nihilominus flos qui & luteus est, prorsus reclamare cognoscitur. Nam Heliotropio candidus tribuitur. Nec de flore sed folio circumactus ille traditur: siquidem lutei flores omnes ferè, splendore solis illecti solem sequuntur. Folia quàm paucißima uides solis cursum imitari, nisi Maluæ & perquàm paucarum. Nec folia Solsequiæ Ocimi folijs respondent, quæ requiruntur in Heliotropio. Repugnant item floris natales dies, singulis ferè mensium Calendis florere depræhenditur, unde uulgo Calendula dici multis putatur. Helio-

tur. Heliotropion Solstitio tantum florere Theophrastus adfirmat, & experimentum tempori huic suffragatur. Item flores huius Calendulæ patentem in amplitudinem dehiscunt, heliotropij uerò in caudæ scorpionis speciem contorti curuantur. Ruellius.

Cappares in asperis & gracilibus locis nascuntur Ferrariæ & in ruderibus, imò nisi impediantur, adeó uage incedunt, ut proximum solum impleant & arescere faciant. Plinius Arabicos pestilentes esse tradit similiter & Galenus. Aphricus, Marmaricus & Apulus quondā infesti fuere nunc probati euasere: nam ex Apulia nos præcipuè habemus. Paulus li. ca 74 appetentiam facere dicit, et in principio cenæ edi ex oleo & aceto, uel ex oxymelite Aliter assumpti, quod ex Dioscoride probari potest, aluum turbare, sitim accendere & stomacho ob esse solent.

Capnium esse Chelidoniam meminit Aëtius lib. 10 cap1.

Capnion autem Dioscoridis li 4 ca 105 constat esse herbam fumariam, quam uulgo appellant fumum terræ.

Caprifolium quære in Matre sylua, & in Alsine & in Periclimeno.

Cardamonum

Cardamomum siue Cordumeni est Carui agreste. Manardus.

Cardamine habetur in Hiberide.

Cardamon quære in Nasturcio

Carduus marianus nescio an à Dioscoride sit descriptus, in nullius enim Cardui pictura albæ istæ maculæ, quas non prætermisisset, leguntur. Alter autem Pecuarius Carduus viech distel à nostris appellatus nõ minor: imo sesqui altera nõnunquàm hominis statura conspicuus, nisi Scolymus sit, de quo tamen uehementer dubio, una cũ tot atijs carduorum generibus, quæ ubiq; scatent, à me ignoratur. Nostrates tamẽ collecto eius semine contra pungentes laterum dolores intestinorumq; strophos uti uideo, quasi acuta herba acutoq; quoq; morbo succurratur. Cordus.

Carduus benedictus perperã ab Herbarijs Erigeron Dios. interpretatur. Manardus.

Caruus Carui & Caruia nõ est nigella quod Pandectarius prodit, sed est apud Serapionem illud quod à Dioscoride Caros uocatur: Conferantur descriptiones utriusq; autoris & per omnia conuenient. Sed tamen id non est quod officinæ ostendunt & Carui appellant. Serapio ex sententia Mesuei semen esse crassius quàm cyminum tradit.

tradit. Quod si potius Dioscoridi, quàm Serapioni credamus, ut dignum est, qui exiguum semen habere dicit, forte una ex nostratibus Dauci speciebus erit: eius herba à Diosc. non pingitur. Plinius monet ubiq; serendum Careum. Caros uerò dictus est, quia in Caria laudatissimus inuenitur. Brasauolus.

Carduus fullonum est Dioscoridis Dipsacus, quem Germani, Kartendistel nuncupant. Vide Virgam pastoris.

Carduus panis habetur in Eryngio.

Cartamum quære in Cnico.

Carlinam habebis in Chamæleone, libro secundo de recentibus.

Caryon Myristicon appellant nucem Muscatam.

Caryophyllon quære in Garyophyllo.

Carpesium Hermol Barbarus cum Arabibus putat esse cubebas, ita enim sentit super lib. 4. cap. 117. cuius tamen Dioscorides nusquã meminit. Nec scitur, inquit, Brasauolus quid sit Carpesium. Galenus lib. 2. de Compos. Medic. κατὰ τόπων Carpesium pro Asaro conijci docet. Item Quintum pro Cinnamomo in penuria illius usum esse, & ab optima tamen Casia deficere. Constat

etiam

etiam ex Galeno Asarum, Phu, & Carpesium esse earundem uirium. Carpasi autem succus res est omnino alia lœtalis assumpta in corpus.

Caputium olus hodie appellatum Germanice, Cappes, & numeratur inter genera Braßicæ Et uidetur esse quod Cumanum & Seßile Plinius dicit, quod folio & capite patulum conspiciatur.

Calcifragam quære in Scolopendria.

Casiæ species Brasauolus in hunc modum distinguit. Casia Syrinx, id est, fistula, dicens semper est nostrum Cinnamomum: uerum enim antiquorum Cinnamomum non habemus, sed quod nunc uocatur Cinnamomum est antiquorum Caßia syrinx & Canella. Caßia autem nostra usualis cheratte longa est, uel: si Latine magis loqui uelimus: oblonga siliqua. In hunc modum nonnulli alij neotericorum digerũt Casiam in species, dicentes. Casiam unam quidem esse catharticen, Arabum uidelicet illam, siliquam Aegyptiam à quibusdam uocatam. Alteram uerò Græcorum Casiam, qua medici nostrates utuntur pro Cinnamomo, odoratam quidem, non esse Cinnamomum sed Casiam illam ueterum, quæ Galeno in libro de Theriaca ad Pisonem autore, rubescit & rosam expirat, gustum dulcem præ se ferens, fistulis plena, & uinum na-

ribus odore referens, aromatum instar uehementer odorata. Manardus autem rem breuibus absoluens. Vulgaris nostra Casia, inquit à uero plurimũ distat cum nihil habeat cum Cinnamomo commune tetra cum sit, inodora & penitus aspernabilis, imò nihil habens quare Casia putari debeat, ut Dioscoridem & Plinium legenti, remq; ipsam in manu habenti, facile constabit. Casiam cum dico, Aromatiten intelligo, quam officinæ ligneã uocant: aliam enim cuius nunc communis usus est ad aluum leniendã, scio antiquis penitus incognitã. Inter aromatites autem ea est omniũ optima, quæ Gizi Barbaro nomine dicitur, quæ adeò similis est Cinnamomo, ut duplum eius pro Cinnamomo, Galeno teste poni posit. Fistularem autem uocatam omnium uilißimam, quam propterea Theriace non imponendam scripsit Galenus, esseq; paßim cognitam, exteriorem quidem corticem, quem fistulam uocant, fortem habentem & odore & gustu, interiora debilißima, adeò ut nullius sint utilitatis. Animaduertendum itaq;, si quando Caßiam syringa, hoc est, fistulam in antiquis autoribus legere contigerit, nõ pro ea capiendam esse, quæ nunc Caßia fistula dicatur ad deijciendam aluũ mire celebris sed ligneam siue aromaticã, de qua iam sumus affatim negotiati.

Causia lignea.

Canellam *Aromatarij Casiam scriptores appellare solent.*

Castanearum *medius cortex & caro his exhibetur, qui Ephemeron, id est, hermodoctylum Colchicum biberunt, quod est uenenum. Intelligitur uerò medius cortex non ille qui inter echinum & subtile hymen castaneæ carnem tegens cernitur, qui immediate echinū sequitur, sed hymen intimū, quæ castaneæ carni inhæret. Rem ipsam Dio. lib. 6. cap. 1. ex Marcelli uersione explicat, dicens: Siquis Ephemerū Colchicum hauserit, priusquàm inualescat malum foliorum quercus aut glandium aut malicorij aut serpilli bibendū est cū lacte decoctū, aut sanguinalis herbæ. Prodest pariter et castanearū media tunicula cū aliquo prædictorū succo.*

Catapucia *ea species Tithymali est quæ à Dios. Characias uocatur: in usu sunt eius & semina et radices et ramuli. Pastillos etiā ex hac erui farina & lacte faciūt, imò et ficus adseruant in quos lac stillârit. Italæ mulieres pro comperto habent, si quis semina deorsum trahens euulserit, & ea comederit per inferna purgari. Si uerò sursum, per superna: ut plurimum uerò accidit hæc grana comedentes per superna & inferna purgari: causam adferunt, quia grana sursum, alia deorsum ducta* Characias.

Germanis ſpring kerner, id eſt, deſilientia grana uidentur appellata: quoniam procul deſiliunt à fruticе ſuo ſponte quidem. Ab Aſcite egregiè liberant hæc grana, id quod experientia edoctum memoriæ tradidit Braſauolus. Scias tamē, candide lector, Ioannem Manardum lib. 18. Epiſtola 1. & Euricium Cordum Catapuciam illam Minorem quidem appellatam, extra ſeptem illa Tithymalorum genera que Dioſ. recenſet, ſtatuiſſe: atq; eam ipſam Lathyrida appellare potius, cuius hiſtoriam tractat Dioſ. lib. 4. cap. 161.

Lathyris.

Cataputia uerò maior uocatur à Germanis wunderbaum, à Latinis Ricinus, à Græcis Croton & Cici, ab Arabibus Cherua. Vnde Cicinum & Ricinum oleum exprimitur, oleum de Cherua appellatum, non exigui in re medica momenti. Dioſco. lib. 1. cap. 30. teſtis eſt Aegyptiam gentem indigere huius magna copia: facere autem illud ad capitis manantia hulcera, ſcabies, ſedis inflammationes, præcluſos & inuerſos muliebres locos, aurium dolores &c. Trahere item per aluū aquas potum & uentris expellere lumbricos. Cibis fœdum oleum lucernis utile. Officinæ quædam palmam Chriſti appellant, quod folium in humanæ manus effigiem articuletur. Seritur in hortis ad arcendam

Remedium contra cuniculos talparum.

arcendam effodientium talparum iniuriam. Semen habet in uuis asperis, quod corticibus exutum Ricinum animalis effigiem repræsentat, tam proximè ut si uita adesset planè ricinus uideretur. Tusa hæc grana & imposita uaros maculasq; sole contractas emendant. Trita autem folia cum polenta oculorum tumores & Epiphoras sedant, turgentium mammam illarum inflammationes cohercent. Eadē cum aceto illita sacros ignes restinguūt. Brunfelsius in Palmodijs suis non appellandam esse Catapuciam censet, eò quod Tithymali siue lactariæ herbæ omnes stillent, quotquot sunt, lac: hæc uerò sit ἀγάλακτος. Cæterum quia de re ipsa nihil est ambigui, nomenclatura neminem mouere debet, ricinum hodie plerisq; hortis inseri nouimus catapuciæ appellationem ei impartias siue detrectes quàm minimum refert. Cedrum quære, in Citro. Ricinus.

Certicam Nardum quære in Nardo.

Centum capita habes in Asphodelo, & Bubonio, & Eryngio.

Centrum Galli quære in Bacchare.

Ceratia uocantur Siliquæ arboris poma. Romani & Græcas & dulces Siliquas appellant, alterum nomen habet à corniculi similitudine. Recentiores ξυλοκέρατα uocant. Siliqua uerò apud

Columellam fœnugræcum nominatur.

Cerefolium Herm Barbarus Myrrhim credidit Dioscoridis. Columel. lib. 10. Cherephyllon uocat, quum in Veris aduentu serendum esse docet. Iam breue Chærephylum, & torpenti grata palato intyba &c.

Ceruinam spinam quære in Rhamno.

Cestiana mala apud Galenum fortaßis sunt poma Arantia, quæ piscis etiam Matiana dicta. Columella hæc uidetur appellasse Sestiana.

Centaurium minus Febri fuga dicitur et fel terræ propter insignem quam habet amaritudinem. Gaza in Theophrasto perperam pro Centaurio maiore latine reposuit fel terræ. Quũ Centaurũ maius iudicio & æstimatione eruditorũ uirorũ, qui simpliciũ pharmacorũ naturas nostro sæculo rimantur, est quod Rhapontici nomine indicatur. Maioris autem Centaurij radicem per decem annos reseruari tradit Theophrst. lib 9. de plantarum historia. Ita uerò appellatur à Chirone centauro, qui illud inuenisse dicitur. Fui enim Chiron medicinæ non imperitus herbariæ & medicamentariæ. Qui olim quum Herculem suscepisset hospicio, atq; arma ipsius manibus contrectaret, sagitta excidit in pedem, ex quo uulnere factum est ulcus

Rhaponticũ uulgar.

difficilim:

difficilimæ curationis, cuiusmodi hodie ob hoc ipsum χειρώνιον ἕλκος, id est, Chironiũ ulcus appellari solet. Plinius lib. 25. tradit Chironem ex eo sagittæ Herculeæ uulnere conualuiße, curatumq; esse herba Centaurio. Ouidius in Fastis memorat ex eo uulnere Chironem occubuisse, quia sagitta infecta fuerat sanguine Lerneæ echidnæ, & ita receptum in cœlum factum esse sagittarium.

Dumq; senex tractat squallentia tela uenenis,
 Excidit & leuo fixa sagitta pede est.
Ingemuit Chiron, traxitq; à corpore ferrum,
 Et gemit Alcides, Hemoniusq; puer.

Herba hodie nullius usus Scribonius addit, hanc etiam Sorbam & Syliquam Siriacam uocari. Gnaphaliũ

Centunculus herba est plurima in incultis sponte prouenìens, folia habens tenuia alba & mollia, Ror et ruhkraut à Germanis appellata, id est, herba torminalis, tota albicat & mollicula est uulgaris, ubiq; scatet, pingui solo præsertim marginibus itinerũ. In hortis uerò & inter uites nunq̃ quod ego uidi, in quiescenti & gramine obducta terra nascitur. Videtur autẽ hoc esse Gnaphalion & Centunculus Dioscoridis, non Plinij, quoniam habet rostrata & ad similitudinem capitis penularum effigiata folia. Cordus, utitur uulgus hoc efficere remedio contra tormina.

Cerasorum succũ ui ignis eliquatũ, quære in Destillandi modo.

Cestron quære in Betonica.

Philitis quasi foliosa, Idem credit Manardus lib. 18. Epis. 3.

Ceruina lingua non est scolopendrium, sed ea quæ à Diosco. Phillitis dicitur, licet Leonicenus ceruinam linguam dicat esse Hemionitida apud Dios. Recte uerò admonet erroris Brasauolus, in quo uersati sunt hactenus medici, qui crediderunt Ceruinam linguam eße Asplenon, quæ est uera scolopendria. Illa siquidem constrictiuam uim habet & dysentericis prodest: hæc uerò à medicis usurpatur pro herba aperiente, lienes dissoluente & calculos frangente, qui error sanè execrabilis & nefandus fuerit. Docetur aperte libro 3. apud Dioscoridem capite. 112 & cap. 142. Similiter & apud Nicandrum.

Ceterach Arabibus est Scolopendrium nullam cum ceruina lingua similitudinem habens.

Chamæbatos, id est, sentis, rubus humilis & terrestris, quo fundi & horti circum sepiuntur, ne homines & iumenta in alienos agros ingrediantur. Germani bron beer appellant.

Chamecisson quære in Asclepiade.

Anthemidis tres species.

Chamæmalum uulgo Chamilla & chamæmilla dicta, est ex tribus speciebus Anthemidis. una, nempe ea quæ à Dioscoride lib. 3. cap. 145. Leucanthemon dicitur, quæ habet foliola illa alba

aureum

aureum globum circundantia, Alterũ Eranthemũ dicitur, quia Vere floreat, habens foliola purpurea, quod calculosis efficatius ualet. Tertiũ genus foliola aurea exhibet, unde Chrysanthemon nuncupatur, quod ciendis urinis magis ualet. Chamæmali porrò laus peculiaris extat apud Aëtium libro primo in litera C, quæ quoniam omnibus obuia herba est recte mihi uisa est huc esse transscribenda. Montani itaq; translatio ita habet. Chamæmalum primo ordine calefacit & exiccat tenuisq; substantiæ est, propterea ui discutiendi rarè faciendiq; pollet, Id si uiride habueris oleo decoquito, ubi scilicet oleo carueris in quo flores madefacti de more in solati fuerint. Sin tantum aridi copia sit, modico aceto præhumectabis, mox oleo decoques. Confert ubi nondum desinit materia ad caput attolli. Nam & præsentem discutit, & nouam non attrahit, quod in alio medicamento haud facile inuenies. Nechepson autem Aegyptius florem ipsum Chamæmali syncerum maximeq; uigentem colligi iubet & in pila contundi, deinde in mortaliolo exquisitißime subigi, formariq; in mediocres pastillos, & in umbra diligentißime exiccari ac reponi, usus itempore pastillum unũ antiquo oleo dissolui, illiniq; uniuersum corpus à capite usq; ad pedes, in

Ex chamæmalo ad mirandum remedium ad quancunq; febrem.

quacunq; febri, & opertum fouere: sudor enim inquit, statim prouocabitur his, qui salutem adepturi sunt, & febris soluetur, quod plurima experientia compertũ habeo. Conuenit id præcipue peregrinantibus præparatum haberi, ob transferendi commoditatem. Iubet idem febricitantes huius pastilli, drah. 1. bibere ex aqua calida.

Chamæleonta require inferius Libro secundo huius operis.

Chamæacte Græcis dicitur qui Latinis est Ebulus.

Chamædaphne est quæ à nostris Vinca peruinca, et à Germanis appellaturn, Igrien. Cuius descriptio est apud Dioscor. lib. 4. cap. 144. Sicut placet Brunfelsio. Inficiatur aũt Cordus, quia Dioscoridis Chamædaphne huic non respondeat. Otto familiare nomen esse refert & Peruincæ & eidem

Laureola. quæ Laureola uulgo dicitur.

Chamædrys nõ differt, neq; est alia à Chamærope, quod tamen putauit P. Aegineta, neq; à Gamandrea, quod quibusdã uisum est herbolarijs nostri appellant gamanderlin, & vergiß nit mein.

Chamælea Dioscor. id est Oleastellus uel Oleago, est Mezereõ uulgatũ Serapionis. Mesueus autem uolens Mezereon describere perperam per

omn a

omnia describit Thymelæam. Manard. Sic pleriq; recentiores Chamæleam cũ thymelæa confundunt.

Chamæcyparissus Cupreßina herba coronaria uideri potest cypressus humilis, quam mulieres in testulis teneris, in uiridarijs, siue hortis Adonidis nutriunt fouentq;.

Chamæpythin Cordus esse diuinat chamæcyparissum & non Aiugam siue Iuam moschatam. Verum autem habere nomenclaturam, simillima enim est facies eius cyparisso arbori. Similis quoq; facultas: etenim ut Nicander cupressum, sic hanc etiam herbam Plinius contra uenenatos morsus cõmendat. In eadẽ sententia etiam est Hieronymus Tragus medicus Bipontius herbariæ medicinæ magnopere studiosus. Quoniam altera seplasiariorũ uidelicet Chamæpytis odore omnino caret, quũ tamen odora sit ex Dioscoride uera Chamæpytis, quemadmodũ sufficientẽ odorẽ fundit cypressus uulgata. Leonicenus Hypericũ uulgatũ pro Chamæpyti intelligendũ scribit. Siquidẽ & Diosc. ipse genus quoddã Hyperici Chamæpytin nominat. A medicis recentioribus hic etiã perforata uocatur: quia folia eius ita sunt pertusa, quasi acu perforata essent & transpũcta. Dicitur etiã fuga dæmonis, quod dæmones hanc herbam fugiant & formident. Coniectat Perforata

Otto

Otto uel quisquis est ille, qui ad colophonem perduxit tertium Tomum, quartum Hyperici genus

Coris.

Coris nominatum esse, quod nostrates pro Chamæpyti sua uenundant. Folia namq; habet Ericæ similia, minora tantum, pinguioraq; & rubentia. Dodrantalem autem esse fruticem, sapore grato, odoratumq;.

Cheiri Arabibus appellantur quæ Græcis

Leucoion.

Leucoia dicta sunt, & uiola matronalis Teuto. Geel uiol. Et quamuis si interpreteris leucoion albam uiolam dixeris: uno tamen hoc nomine omnes uidelicet luteæ, purpureæ, & albæ species intelliguntur: sumpta à melioribus ac potioribus appellatione. In hoc tamẽ genere præferuntur luteæ. Hodie autem uiolarum nomine nigras illas uiolas intelligimus, quæ ueris initio iuxta muros & sepes

Viola nigra.

& inter dumeta non ingrato etiam odore prouenunt, sed harum alia familia est, contraria Leucoijs tum qualitate tum facultate, ut errent qui eadem eis uirtutes adscribunt Matthæum Syluaticum autorem imitati. Hæc Cordus, sed Antonius Musa Brasauolus, Græci duo nomina habent, inquit, quibus uiolam significant: ἴον unum est, quò omnes uiolas intelligunt, ab Io, quæ à Ioue in uaccam conuersa est, pro cuius pabulo iussu Iouis uiolæ in

campo

campo creuerunt, unde & nos uiolā quasi uitulam dicimus. Aliud nomen est Leucoion quo propriè albæ significantur, tamē ad omnes uiolas usurpant, præsertim ad eas quæ primo statim uere nascuntur siue candidæ, luteæ cœruleæ, uel purpureæ sint.

Characias Tithymali specie habetur in Catapucia.

Chelidoniam Aëtius li 10 cap 1 appellat Capnium, cuius usum commendat in iocinoris inflammationibus Cæterum maiore nostræ Chelidoniæ. Dioscoridis historia respondet: minor in principio ueris tantum comparet, testiculus sacerdotis dictus, nascitur in humidis locis, Germani à Maio meykrawt & feigwertzen krawt appellant, id est, herbam maryscæ. Est autem omnino illius, qua apud Dioscoridem indicatur figuræ: & statim incipiente æstate euanescit, uix enim aliâs quàm in mense Maio apparet. Euricius Cordus in Chelidonij minoris descriptione ægritudinis admirandæ commeminit, qua multum familiariter adfligi soleat gens Saxonica, cui nomen dederint scharbock. Equidē Hyppocrates & Galenus morbos qui perpetuo tenent locū quempiā ἐνδήμους, id est, publicos uocant, qui sunt patrij et regioni alicui proprij, ut arena Germaniæ, febris ardens Italiæ,

Broncho coele

Guttur tumidum. Bronchocœle Alpinis & Gebennensibus. Saxonū uerò Endimon morbū medicari potest minus illud Chelidoniū, quod malum fortaßis ad Sotmacaccen referri potest. Nam dentes ea ægrotatione excidere & totum os affici dicunt.

Cheruam quære in Catapucia maiori.

Cherephyllon quære in Cerefolio & rursus in Myrrhide.

Christophorianam herbam habes in Antipatre.

Chrysanthemona quære in Cotula fœtida, & in Chamæmalo.

Chrisocomen Dios. Herm. Barbarus Barbam Iouis putat, reclamat Virgilius Marcellus.

Cicerbita Græcis Sonchus dicitur, & Germanus hasenköl, id est leporina Braßica. Itali lucticellam & Crispinum, nonnulli Taraxacon uocant. Cordus.

Cici descriptionem requires in Catapacia maiore.

Cichorum quære in Seride.

Cicutę semen non esse fructum rutæ syluestris in Aconito admonuimus ex Nicolao Leoniceno, quisquis uerò in obstinato errore ueluti in salebris hæret aromatarius, fustuario dignus est.

Neq;

Neq; uerò mitius tractari commeretur quàm ea gens excipit medicum qui ægrotum forte uisitat iam mortuum, quem antea in cura sua medica habuit. Enimuerò hunc incautum & circumuentum per multa uerbera grauiter mulctat bacillis atq; in tergum & caput libratis fustibus, & scipionibus.

Ridicula sæuicies mulierailarum italarum aduersus medicum, cuius interijt ægrotus.

Cirsion Ioannes Manardus apud Dioscoridem coniicit esse eam herbam quam uulgus habet pro Buglosso.

Cissampelos quædam Helxines est species uiticularis ac circumuoluens se herba, referentibus ferè lilia floribus, latini Conuoluulum appellant et Germani zaunglocken. Cordus.

Citrago uel Citraria idem Cordus ex Palladij sententia inquit fortaßis alia est à Melissophyllo & Melissa. Nam & Nicander bis Melissophyllon etiam Marrubium appellat. Alterum igitur esse oportere, aut ut idem Melißophillo Marrubium sit, aut commune duabus herbis Marrubij nomen. Præterea nullam nostra Melissa lanuginem habet, quam ei Nicander tamen tribuit: nec admodum similem Citris odorem spirat, unde citraginem appellant. Fœdus enim hic est potius quàm gratus odor, quum tamen melissophyllon propter

Melissophyllon Melissa

suauitatem

suauitatem suam in coronamenta quondam uenisse legamus. Hæc Cordi uerba inducere possunt aliquẽ, ut credat ipsum pseudomælyssophyllon quoddam uidisse, cuiusmodi & ego ostendere possum herbam quandam Melissæ forma multum adsimilem, hirsutam, tetro & uiroso odore. Cæterũ melissa quam in Ingolstadiensibus saltibus inuenio uitijs à Cordo aßignatis neutiquàm obnoxia in floribus succum mellifluum, apibus gratißimum, dulcißimumq; ægrotantibus continet hominibus: siquidem flores cum Saccharo in conseruam, ut uocant, concinnatur. Herba insuper mollem atq; exiguam licet non hispidam atq; uillosam præ se fert lanuginem. Adhæc nemo facile dixerit herbæ odorẽ grauem & fœtidum, quin potius tam iucundum atq; delectabilem ut cerebrum recreare & suauiter afficere queat, utq; cruda ipsa & siccata calenti fornaci imposita repurget hypocausti aërem & iucundißimum odorem spiret. Appellatur eadem herba Apiastrum eò quod apes hac delectentur. Germanis nota est sub nomine mûterkraut et hertzkraut, Apiastrum *quasi matricariam & cordiacam herbam dicas, ad quam fortaßis Cordus alludit in herbula mox sequenti cui Cardiacæ inditum nomen adserit.*

Citri

Citri descriptionem prosequuturus necessarium non existimo prolixius disserendum esse de crasso quorundam errore, qui ex hac arbore cedrina ligna putauerunt, quibus Salomon templum Hierosolymitanum extruendum curauit. Quod etiam magnopere ueteres & quasi cum insania, ad mensas expetiuisse tradit, lib. 3. cap. 15. C. Plinius, Extant hodie, dicens: Marci Ciceronis in illa paupertate mensæ, & quod magis mirum est, illo æuo emptæ libris undecim. Cũ quibus memorantur & Galli Asinij quæ libris 11. uenundatæ sunt. Et duæ à Iuba rege uendente, quarum alteri precium fuit libris 15. alteri paulominus. Interijt nuper incendio, quam Cethegus decedens libris 14. permutauerat latifundij taxatione, si quis predia tanti mercari malit. Manifestißimum igitur est aliam esse arborem cedrum, aliam uerò citrum, utpote humilem arbusculam. Quanquàm ut docet Brasauolus in epistola ad Herculem principem Estensem, Phania Ereßius lib. 5. de plantis Cedrum appellauit, atq; malum Cedrium, pro eo quod nos Cirum uocamus & Citrium. De hoc autem meminit Theophrastus lib. 5. plantarum sub mali medicæ aut Persicæ titulo. Folium dicens, habet simile & penè æquale portulacæ, aculeos, quales pirus, aut acuta

Malus Medica.

Malus Persica.

Cirum.

spina, sed leues acutosq; uehementer et ualidos. Pomum eius non manditur, sed odore præcellit: nec non & folium arboris odoratissimum est, & si inter uestes pomum ponatur inoffensas conseruat. Vtile & quum medicinam mortiferam quis biberit, & ad oris suauem olentiam: quippe si quis interna poni in iure aut aliquo humore concocta in os expresserit suauẽ habitũ reddet: fert poma omnibus horis, alijs decidentibus, alijs subnascentibus, alijs maturescentibus. Pomum autẽ eius Theophrasti seculo nondum mandebatur, sed tantum odore commendabant. Si plura legere de hoc fructu desideras Dios. cap 136 libri primi reuoluas, & Plinij 3 cap. lib. 12. Quorũ sententiã Virgilius Maro in 2 Georgicorum pulcherrimis uersibus est complexus. Sunt uero etiã his aures præbendæ quæ Musa Brasauolus adiungit. Eiusdem dicens, generis omnino

Limonia *sunt quæ Limonia, Adami poma, aut rancida nunc uulgo dicuntur. Quæ Rancida dicuntur Hermolao teste, quasi raudia, à colore æris, id est fulua, uel*

Arantium malum. *à Neratio inuentore Neracia dici potuere. Diceretur recte Aranium quasi Arianum à gente id est Persicum. Est enim Aria Persica quædam regio. Vel Arantium ab Arantia oppido Achaiæ licet appellare.*

appellare. Iuba autor est Hesperida & malum Hespericum nuncupari, placetq; Herculem in Græciam transportasse, & malum Aureum esse uocatum, Vnde est illud in Aëgloga. Hesperi.

Virgilij, Aurea mala decem misi cras altera mittam Pausanius tamen non Aureum malum, sed Hesperidum ab Hercule primum in Græciam transportatum dixit, & Aristophanes grammaticus Oximala Persica uocari prodidit. Et Galenus pomum ipsum non Medicum, sed Citrinum appellatum uoluit Quanquàm sit apud Theophrastum, sub Medici mali dictione repertum. Græci quidam fabularum inuentores, nuptiale pomum esse putauerunt, à Tellure editum fabulantes, nunciato Iouis & Iunonis connubio. Antiquiori tempore ex Persia & Media euehebantur. Nunc triuialis est ferè arbor: pluribus horum pomorum generibus Citreta Liguriæ, Campaniæ, Apuliæ, Benaco lacu, & ubiq; calidioribus locis fœlicius germinant, & quamcunq; imaginem topiario opere reddunt. Galenus li 7 de Simplicium Medicinarum facultatibus inquit esse tertij ordinis resiccantium infrigidantiumq; de acida Citri parte loquens, quã li 2 de alimentis identidem frigidam esse adserit. Paulus quoq; Aegineta li. 7 et Aëtius li. 1 in tertio

 ordine

ordine frigidam & siccam constituunt. Syrupus itaq; de acetositate Citri, quem syrupum de succo Citri appelles licet, uehementibus inflammationibus & æstibus succurrit, & ualet ad omnes morbos biliosos ex pura bile obortos, et pestilentes, & qui ueneni sapiunt naturam, & ad sitim extinguendam. Antiqui uerò qui Citri succum ore non degluttiebant, cortice tantum & carne uescebantur, ut ex Pauli Galeni & Aëtij scriptis constat, qui tradunt Corticem uentriculum roborare quamuis sit concoctionis difficilioris, & carnem pituitosam materiã gignere. Quod uerò in dubiũ cadere potest, semini ne an pomo Citri adscribenda sit facultas resistendi ueneno, sicut ueteres pronunciarunt, et pestilenti morbo sicut Mesuah docuit diligenter expendit A Musa Brasauolus in Examine Syruporũ celebriorũ, dicens: Quãuis Dioscor. anceps sit utri semini ne an pomo attribuat uim ueneno resistendi, quũ dicit. δύναμιν δ᾽ ἔχει ποθὲν ἐν οἴνῳ ἀντενεργεῖν θανασίμοις, id est, uim autẽ habet quod in uino potũ uenenis aduersatur: hoc enim ita ad pomũ sicut ad semẽ referri potest, quamuis de semine propinquius sermonem habuisset: Tamen præter rem non est, sibi et de semine & de pomo id intelligamus, quia Plin. li 23 ca 7 inquit, Citra cõtra uenenũ

Syrupus de Acetosita Citri

in uino

in uino bibuntur, uel ipsa uel semen. Nec obstat quod Theophrastus li.6. istud pomo attribuat, & Paulus & Aëtius, quoniam et semini hoc dotis inest, quod Auicenna cortici & semini adscribit: nec dissentit Serapio. Quicquid sit totum pomũ ueneno resistit. Depræhendit idem Neotericorũ quorundã erratum, qui hunc Syrupum ualere dicunt contra prægnantiũ fastidia, quãdo edere nõ possunt et extranea appetunt, ut carbones, testas fictiliũ aut terrã, quod malũ Cissa appellatur, quã fieri etiã tradit Musa, quũ adeò perturbatus est uentriculus, ut cõuenientia edere nõ poßit, q̃uis extranea nõ appetat. Cõstat igitur pregnantiũ uentriculo (nisi æstuans fuerit) potius obesse quã prodesse. Semẽ tamen Citri ad hunc morbum multũ ualet. Hic autẽ est optimus syrupus in æstuantibus morbis, quo frequenter iubeo ægros pro intinctu uti. Fit autẽ ex succo Citri: tamen Citri nomine limones, Adami poma, & Arantia ueniunt. Ego potius ex Limonibus pararem quoniam succum frigidiorem habent, hic autem potißimum frigiditas expetitur, & Limones saporem habent Citro maxime conuenientem. Nam ut Plinius dicit li 15 ca 28. Citris odor accerrimus, sapor asperrimus: inter hæc autem Limones omnium asperrimum habent, ideò potißimum Citra sunt

Cissa.

Limones.

Limones. Tamen si ex Citro etiam habere placeat, ubi frigiditas tanta non expetitur, parato. Pharmacopolæ Veneti perperam succum Citri emunt, plerunq; aqua mixtum: potius cõsulerem ut Citra emerent, & seorsum succum & cortices in syrupos redigerent, carnem uerò condirent. Est etiam alter non incelebris syrupus, qui è corticibus Citrorũ aut Limonũ cõficitur, cuius usus est ad Cerebri & Cordis affectus frigidos, et pituitosas ægritudines. Pro quo, si desit, Citrorũ conditura uti poteris, quæ corticũ Citrorũ uires maxime suscepit.

Syrupus de Corticibus Citri.

Clematidem Diosc. lib. 4. cap. 7. sunt qui Peruincam, & Germanorum Ingrien putent. Eruditus uir Ioannes Pollio Oenipontanus medicus Chremasinus à præceptoribus monstratam sibi Clematida in Sueuorũ Brisgoia prædicabat, quam incolæ Rosam & Lilium inter spinas sint appellare soliti. Alteram autem Clematidem eiusdẽ Dioscoridis à Romanis Ambuxum dictam flammulã esse opinatur Brunfelsius.

Clauem cœlorum, uel Clauium flores, uel S. Petri clauem Brunfel. in Germanico herbario nititur adstruere esse tertiam speciem Betonicæ, quam uulgus Paralysis quoq; herbam uocant. Meminit alterius herbæ paralyseos Barbarus

in sua

in suo Corollario super 4. Dioscorid. cap. 155. cui Bellis siue Bellio sit nomen, cuius flos rubens quadantenus aduersus strumas efficax, ut Plinio uidetur, quem quinquagenis quinis barbulis pastillicantibus coronatum scribit, qui primus ueris flos existat & margarita cognominetur, nascaturq; hyeme tota. Laudatur ad Paralysin, podagram & Ischiada. Flos quoniam à longinquo conspicuus est Paradelos dicitur, folio non admodum diuerso à Paralysi, nisi quod illi serratum est. Sunt qui Buphthalmum, & bouis oculum appellent. Nam qui Antipatrum uulgo rentur eum esse, liquido falluntur. Verum, quemadmodum etiam Othoni in Palinodijs placet hæc memorata, non respondent omnia nostræ Paralysios herbæ, quare habendæ sunt pro diuersis.

Quidam libri quinquagenas ternas habent.

Cnicos Latinis Cartamus, à Plinio Atractilis & à Germanis Agrestis Crocus dicitur. Galenus hunc ad gradū usq; secundū calefacere affirmat, discutiendiq; uim illi tribuit. Herba contra uenenata animalia efficax, & succus Cartami purgat aluum ab adustis & craßis humoribus, & genitale semen eo augeri dicitur.

Cnidium granum quære in Thymelæa.

Colchicon & Ephemeron à Sera-

pione sub Hermodactylis comprehenduntur. Atq; interim Ephemeron ipsum duplex reperitur, Ephemeron uidelicet Colchicũ interficiens, & Ephemeron non interficiens. Addiscimus hoc ex Paulo Aegineta ubi de Ephemero loquens, dicit: Ephemeron nõ quod letale est, & noxium, sed quod Iris syluestris appellatur: ut ostendat per Ephemeron etiam id quod letale est, intelligi. Adde in Alexipharmacis Nicandrũ de Ephemero loqui, quem in Colcho insitũ censet, ut ferè hanc differentiam innuat. Ephemeron aliud Colchicum, id est, ex Colcho esse, aliud alterius generis. Sic enim Cordo interprete poëta cecinit.

Ephemeron.

Si uerò inuisum Medeæ Colchidos ignem
Incauto quis atrox potârit Ephemeron ore,
Aspera ceu quodam pruritu labra queretur,
Nec secus ac cæsæ ficus albente liquore,
Et uelut affrictos urtica sentiet artus,
Siue calescentis prægnanti uertice scyllæ
Quæ ciet in tenera quasi flammæ incendia carne.
Hinc mala uentriculum grauitas inceßit, & urget
Ad crebrũ uomitũ, & letali protinus igni ulcerat.
Hoc contra medicina malum tibi quercea frons est,
Fagineæq;, pari si sumas pondere, glandes.
Siue recens asinæ aut uaccæ lac offer, eoq;

Se languens

Se languens satiet plenumq́; os colluat æger, &c.

Aegineta insuper lib. 5. cap. 48. ubi de uenenis agit, inquit, Si quis Ephemeron, *quod Colchicũ aliqui, aut syluestrem bulbum appellant* (Romani *nanq; bulbum syluestrem nominant) Innuit his uerbis per Ephemerum etiam Colchicum intelligi* Dioscorides *quoq; in capite Colchici Ephemerũ etiam nominat, quasi significet duplex* Ephemeron *inueniri, Colchicum de quo prius tractat, & quod peculiariter Ephemerum nuncupatur. Dictum uerò Ephemerum est, quod uno die interficiat.* Galenus *præterea de Ephemero loquens, se non de Colchico, inquit, differere, quod uenenum est, sed de eo, quod Iris agrestis dicitur.* Vnde *Ephemeron idem significat, quod apud Arabes Surugem, & apud recentes hermodactylus. At sub Ephemero Colchicum comprehenditur, quod uenenum est, ita peculiariter appellatum, ut Plinius lib. 28. cap. 10. ipsum uocat, & in id quod peculiari nomine Ephemeron dicitur, de quo idem Plin. lib. 25. cap. 11. Serui antiquitus eo utebantur quod Colchicũ dicitur, tanquàm refugium quærentes in desperatione. Est autem præsentaneum uenenum, soluens usq; ad sanguinem, quandoq; natura nõ ferente, atq; hic est noster hermodactylus, opus aũt esset nos Ephe-*

meron accipere, quo quum careamus, usu uenit, ut Ephemeri loco Colchicum, hoc est nostrum hermodactylum sumamus perniciose quidẽ. Folia elleboro similia habet, nõ sine noxa soluit, à Germanis zeytloß & herbstblům, quasi dicas temporis expers, & Autumni flos appellatur. Musa Brasauolus scribit quandoq; se adductũ, ut gustare tentârit, castaneæ saporem sibi uisum. Sed paulò post stricturam quandam circa asperam arteriam persensisse, ac si manu stringeretur, mox Vaccinum lac hausisse, & nihil amplius incõmodi reliquũ. Ac rursum obuersatur animo meo Ioan. Pollio Medicus Chremesinus, qui mihi semel atq; iterũ duorum puerorũ historiã recensendo renouauit, qui per lusum in prato non procul à sua patria Colchicum hoc Ephemeron deuorassent, ambo perierunt miserabiliter atq; extincti sunt. Alius est insuper Hermodactylus præter numeratos, qui priuatim articulorum doloribus ualet & medetur, ut Paulus lib. 7. ostendit, ubi de hermodactylis considerat & tamen de Colchico & Ephemero diuersa capitula fecerat. Neq; in Ephemero aut Colchico, Diosc. Plinius, Galenus Paulus & Aëtius quicquam de articulorum morbis loquuntur: nisi uelimus Paulum per Hermodactylum Colchicum intelligere, & mirum uideri

In Martio flores Martij uel Februarij appellantur.

potest

potest cur non pinxerit, quum à nullo altero pictus sit. Et quàmuis Serapio Galenum adducat, apud Gal. tamen non inuenitur. Sed à Paulo accepit ut multa alia, in quibus tamen adducit Galenum. Vide plura inferius in Narcisso.

Colocynthida quære Cucurbita agresti.

Columbinum pedem uulgo uocant, eam Geranij speciem quæ lata & alternis profundius crenata folia habet, alio nomine Rupertiana dicta Cordus.

Conuoluulum quære in Cissampelo. Quibus addendum quod medicus haud quaquàm uulgaris nominis Conuoluuli flores illos coloris uiolacei in oleo tenuiter coctos Arthriticis doloribus sæpe accõmodârit, & præclarum auxilium ægro attulerit, ex re minimi momenti & precij adsecutus exiguam laudem.

Conyzam Virgil. Marcel. in lib. 3. cap. 127. Pulicariã interpretatur. Cordus pulicariam nostram alteram uidelicet Persicariæ speciem, quæ acri mordacitate pungit Conyzam appellari posse dicit, quod & ipsa pulices necare uulgo creditur, sed propterea eandem Græcorum Conyzam esse, negat, & hoc nomine Othonem notat quod eam

pulica-

pulicariũ uocat, licet idem in ſecundo Tomo inter anonyma ponat. Altera autem Perſicariæ ſpecies quæ maculam habet fatuo ferè eſt ſapore. Neq; Conyza eſt Thymbra ſicut perperam ſentit Iacobus Manlius.

Coriandrum Corion & Corianon, unũ eſt ex his, in quibus Galeno non conuenit cum Dioſcoride. Nam Dioſ. hoc refrigeratoriam habere uim tradit, Galenus tamen calidum prædicat Quia uerò magni uſus eſt, & tamen incautis aliquando imponere poſſet, Nicandro poëtæ Medico accommodandas aures cenſeo qui in Alexipharmacis hæc ut ſunt in filum latinum à Cordo conuariata, tradit.

Quod ſi noxia quis biberit Coriandra repente
Ablato exagitur ſenſu, ſtridenteq; uoce
Aedit acuta uelut furioſæ iubila Bacchæ,
Seu Stygiæ iniecto quaſi percitus angue Megeræ
Contra hæc ex dulci da Pramnia uina racemo,
Vt madido ſpumans fudit uindemia prælo,
Diluat infuſo tamen hæc maris unda catino.
Quin & inanitis, gallinæ partulus, ouis,
Confractis ſalſam teſtis ſuperinijce ſpumam,
Qua ueſcens Cepphe⁹ ſe ſeruat & interit æſca,
Piſcantes pueri ſtructis ubi fraudibus illi

Inſidiantur

Insidiantur aui, sic ut capiatur ab his, dum
Albentē sequitur non prouida in æquore spumam.

Corallinam uide in Bryo.

Cordumeni Arabes ecquis dubitat corrupte uocant? quod Græci Cardamonium, nos Carui agreste.

Cornus à Diosco. lib. 1.cap.140. Crania dictus, non est quod quidam uoluere Cynosbatos, sed est arbor speciosa & fortis fructum magnitudine oliuæ ferens oblongum, uiridem, quum maturuit rufum, aut ceræ colore qui uescendo est, nucleum unum tantum habens & quasi lapideum, hinc lapidosa Corna dixit Virgilius. Cornarius in Alsatia & Heluetia reperiri plurima scribit. Cordus, appellari dirlas adserit. Cynosbatos autem cornus est syluestris quē Hagendorn Germanice appellamus, cuius fructus cynosbata, eodem dialecto, byesen nominamus, uel botten uel hanenbutten in uentris fluxibus uulgo expetuntur non infœliciter quum & dysentericos fluxus comesta sistant & cohibeant. Brasauolus tamen uidetur in Diamori confectura Bynosbaton affirmare speciem Rubi, & ferre mora adstringentia.

Manardus li.8. Epist. 1. superfluo additū esse speciosam contendit in Diosco.

Corin uide in Chamæpyti.

Coronopos Coruinus uel Cornicis pes non est

Flammula. non est Flammula, sicut Hermolaus Barbarus deceptus, putauit. Quoniam non arrodit carnẽ, neq; risum letiferum mouet, & sola foliorum similitudo huic cum flammula intercedit, esturq; hæc olerum modo. Proinde Manardus subdit, Magis probo inquiens, qui hanc herbam uulgo herbam stellæ dicunt, qua in acetarijs paßim utuntur, non Capreolam, uel aculeatum gramen iumentorum potius quàm hominum cibum. Brunfelsius Coronopoda ueram putat, quæ hodie Crus Galli uulgo dicitur, uel pueris quidem nota, qui eam legentes mutuo uesicas cient. Tria uerò Coronopodos genera nobis exhibuit, quorum tamen nullum eam esse iudicat Euricius Cordus. Spargitur enim humi Coronopos, quum omnia illa recto caule tolluntur.

Stellæ herba.

Crus galli.

Corrigiola, proserpinaca, polygonon masculũ et sanguinalis eadem herba dicitur, & Germanice, weggras & wegdritt. uarias in se uirtutes: præsertim in sistendo sanguine, habens, unde sanguinaria dicitur. Celsus appellat Sanguinalem, de qua Diosco. agit lib. 4. cap. 4. Sanguinalem uerò fœminam siue polygonon fœminam in quinto capite descriptam nonnulli existimauerunt esse Caudam equinã. Quanquàm Hippuris Equisetũ.

Hippuris Equisetum

à Virgil

à Virgil Marcel translatũ eiusdem caudæ equinæ historiæ respondeat in 4 lib. Dios cap. 44. & 45. Cuicunq; uerò horum trium à Dios. lib 4. capitibus 5. 44. & 45 potißimum uulgaris nostra equina cauda ueniat adscribenda: Quam Germani uarie appellant, uidelicet schafft hay, kanten kraut, à purgandis cantharis et stanneis uasis, tauben trock, & katzen helm: diutina tamen experientia cognitum est, scabiei uesicæ, malo intolerabili mederi. Nam unico hoc equinæ Caudæ medicamine uidimus lithotomum insignem, hanc scabiẽ penitus tollere, & profligare, quum decoctiones illius ppinandas ægroto porrigeret. Cæterum Polygonaton Dioscoridis hodie Sigillũ Salomonis & Sigillum beatæ Mariæ à medicis uocatur, Germani wiß=wurtz, id est radicẽ albam nuncupant. Et sunt qui Arabũ Secacul hanc esse putẽt. Manardus Geniculam dici indicat, itẽ & fraxinellã, quia folia similia fraxino habet. Radix ipsa præter alios usus, ut nõ multo labore, imò solo affrictu malas pallentes rubras & floridas queas efficere, commendatur.

Cauda equina.

Sigillum Salomonis.

Secacul.

Fraxinella

Costus radix est, candida, leuis plurimo & eximio odore, & nascitur in Arabia, Syriacum est ponderosum, colore buxi, odore sensum tentans. Sola radix in re medica probatur, ceteræ partes à nullo

Costus.

nullo autore expetuntur. Pro triplici autem costo, Arabico Indico & Syriaco officinæ tantum amarum agnoscunt, ut inquit Manardus. Quam autem ostendunt, nec leuis, nec candida, nec odorata est, neq; ullis nominibus digna haberi potest.

Cotula fœtida est fortaßis Parthenij quarta species, quam Germani Croten dyll, quasi dicerent lacertarum anethum, appellant. Brunfelsius in suis Palinodijs Buphthalmum à quibusdam credi, admonuit, etiamsi Barbarus refragari uideatur, & fortaßis etiam appellari Chrysanthemonem: Buphthalmum quidem à figura, Chrysanthemonem uerò à colore luteo. Contendit equidem idem Brunfelsius Cotulam eam esse herbam quæ tam similis est Chomomillæ, ut uix dignoscatur ab ea nisi per odorem. Cordus repugnat. Appetitur autem summopere ad profligandā pestilenticam luem potißimū.

Buphthalmus.

Chrysanthemon.

Cretamum officinæ uacant, quam Romani Batim, & Dioscorides lib. 2. cap. 118. Crithmon uel Crithamon appellat, alij fœniculum murinum.

Crispina uua quibusdam dicitur spinæ cuiusdam dicitur fructus Cynosbato similis, diuersi tamen generis: frutex enim æque spinis horridus & topiarius, pusillæq; uitis folio ac rubentis uuæ fertilis. Quem nō in Italia modo, sed in Germania

quoq;

quoq; sibi uisum indicat Hermolaus Barbarus.

Cresson dicitur hodie altera species Sisymbrij, quæ etiam Cardamine quasi Nasturciaria uocatur. Erigeron uerò, id est, Senecio aliud simplex esse probatur, ut in Erigeronte uidebimus.

Christam galli quære in Bacchari.

Crocodilion inquit Manardus similis est Chamæleontæ nigræ, ei uidelicet herbæ quæ nunc Carlina dicitur. Distinguitur, præter natales, radice, quam longam, & mediocriter latam habet, odore ut Nasturciū acri, Carlina crassam extrinsecus nigram, interius subflauam. Inferius tamen de Carlina & Chamæleontibus plura cōmentabimur.

Croton habetur in Catapucia maiori.

Cucumer anguinus, uel syuestris, uel erraticus habetur in Elaterio.

Cucurbita agrestis uel syluatica Colocynthis Græce uocatur, habet folia quæ per humū strata repunt, insecta, & fructum pilæ formæ in orbem coactum, fungosa candidaq; intus medulla, sapore uehementer amaro, cætera satiuæ similis est. Infusa clysteribus intestinorum omnium uitijs medetur & renum & lumborum, & paralysi eiecto semine. In morbo regio utiliter semina eius sumuntur, & protinus aqua mulsa. Carnes eius cū absynthio & Colocynthis.

thio & sale dentium dolorem tollunt: & succus cum aceto calefactus mobiles sistit: item spinæ & lumborum ac coxendicum dolores cum oleo si affricetur. Præterea semina eius, si fuerint pari numero adalligata febres Periodicas sanare dicuntur. Partas enecat appositu. Ventriculo admodum inimica est. Supponitur sedi pro glande ad euocanda recrementa.

Cucumis similiter & satiuus & Aegrestis siue Asininus alicubi prodit: atq; hic est satiuo minor, hirsutior & spinosior. Asperis & incultis locis per campos latissime folia sua spargens. Ex quo conficitur medicamentum Elaterion, ut inferius in Elaterio indicabimus.

Cucumeres Citrini. Cucumerum insuper aliud genus est Citrinorum uocatorum, quod tabernæ aromatariæ Citrolum uel Citrullū nominant: frigidius est hoc genus cucumere & mali succi, uentriculo admodum contrarium, proinde semen tantum ex illo ad usum medicinæ expetitur.

Cumanum olus quære in Capucio.

Cunilam uide in Satureia.

Lidonera. Amplexicaulis. Cuscutam amplexicaulem Theophrastus uidetur appellare Linoderam, magnam habet similitudinem cum uocato nunc Epithymo, sed non

est in usu apud Græcos. Manardus. Cassutham apud Dios & Caßitã sine adspiratione apud Plinium reperiri uocatum tradunt. Alij uerò Podagram Lini etiã nuncupãt. Manardus cõtendit Oribasij non eße Emplastrum, quod Mesuah describit in cõpositis suis, ꝓpterea quod Oribasij tẽpore Cuscutæ uox fuerit adhuc ignorata. Vide Androsacẽ.

Cupreßina uulgaris herba non est Chamæcyparissus, sed uera Chamæpytis.

Cyanum quære in Garyophyllo.

Cyclaminus apud bonos autores legitur sub nominibus rapi terræ, umbilici terræ, panis porcini & Artamitæ. Vide Dios. lib. 2. cap. 153.

Cynæ semen quære in Absynthio marino.

Cynosbaton habes in Corno.

Cyperus est iuncus ille, qui à Plinio inscribitur triangularis odoratus: à C. Celso odoratus atq; quadratus. Cypirum Theophrastus appellat. Dioscorides angulosum iuncũ. Aperit hæc radix locos muliebres potu, ciet urinam, pellit calculos, aquam intercutẽ extrahit, illinitur ulceribus quæ serpunt, præcipue in ore nomis inspergendus puluis eius, miscetur malagmatis quibus corporis calefactio petitur.

Cyprus est Alcanna, uide Ligustrum.

Cynocephaleam *uide in Antirrhino.*

Cytisus *olim celebris Italiæ hodie si Marcello Virgilio credimus ex tota ea terra euanuit. Frutex hic odorem erucæ reddit si digitis teretur, commanducatis folijs gustum ciceris recentis percipies, pabulo ouium conuenientißimus, aridus uerò etiam suum. Pinguescunt eo & quadrupedia, ita ut iumenta hordeum spernant. Neq; ex alio pabulo lactis maior copia, super omnia pecorum medicina à morbis omni usu præstante. Præterea & nutricibus in defectu lactis aridus atq; in aqua decoctus potui cum uino datus, firmiores infantes dicitur efficere. Inuentus est hic frutex in Cythno insula, inde translatus in omnes Cycladas, mox in urbes Græcas, magno casei prouentu. Non æstus, non frigorum, non grandinum aut niuis expauescit iniuriam: adde ne hostium, propter nullam gratiam ligni. Gallinis, apibus, capris, bubus & omni generi pecudum, utilißimus est, quod ex eo cito pinguescit, & lactis plurimum præbet ouibus. Cytisus duplex est ut Columella tradit. Inuenitur enim in segetibus, frutex albicans, surculus cubitalibus, folijs ramulosis, trifolij similitudine, dorsulo in medijs prominente, flore pisi luteo. Folia si terantur erucam subolent, commanducata cicer resipiunt.*

ſipiunt. Hic creditur eſſe Cytiſus agreſtis, qui ſi debite curaretur, cultu miteſceret in ſatiuum.

Cypariſſum quære in Chamæpyti

Cypariſſias habetur in Eſula

D

DAmaſonium quære in Alyſmate

Dactylus fructus è palma eſt, cuius totam hiſtoriam Theophraſtus lib. 2. cap. 8. de hiſtoria plantarum, Et Plinius lib. 13. cap. 4. diligenter recenſuerunt. Eſt enim Iudæa palmis inclyta, quæ in Europa ſunt ſteriles. Ferunt in maritimis Hiſpaniæ fructum, uerum immitem, dulcem in Aphrica, ſed ſtatim euaneſcentem. Contra in Oriente ex ijs uina, gentiumq́; aliquibus panis, plurimis uerò etiam quadrupedum cibus. Genera earum plura, & prima fruticem nõ excedentia, ſterilis hæc, breuis ramis, umbra foliorum, tectorij uicem parietibus pleriſq; in locis præſtat contra aſpergines. Sũt è proceribus ſyluæ ex ipſa arbore foliorum aculeo fruticante circa totus pectinatim quas ſylueſtres intelligi neceſſe eſt. Reliquæ teretes atq; proceræ denſis gradatiſq; corticũ pollicib. ut orbibus faciles ſe ad ſcandendũ Orientis populis præbeant. Coma omnis in cacumine & pomũ eſt, non inter folia ut in cæteris, ſed ſuos inter ramos palmitibus race-

Palma.

Plura uide apud Galenum lib. 2. cap. 26. de Alimentorũ facultatib.

mosum, utraq; natura uuæ atq; pomi. Nullis arboribus natura utrunq; sexum tribuit manifestius. Mas in palmite floret, fœmina citra florem germinat tantum spinæ modo. Salsum ab ijs solum diligitur: ergo ubi non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed longius paulo. Ferunt statim in trimatu. In Cypro uerò, Syria, Aegypto quadrimæ aliæ, aliæq; quinquennes. Fient unde quinquaginta genera, si quis omniũ persequi uelit nomina etiam barbara, uinorumq; ex ijs differentias. Clarissimæ

Regiæ. quas Regias appellauere ab honoribus, quoniã regibus tantum Persidis seruarentur Babylone natæ uno in horto Bagoi: ita uerò uocant spadones qui apud eos etiam regnauere: hortus enim ille nunquàm nisi in aula dominantis fuit. At in meridiano orbe præcipuam obtinent nobilitatem Syagri, proximamq; Margarides, eæ breues candidæ, rotundæ, à cinis quàm balanis similiores: quare & nomen à margaritis accepere. Vna eorum arbor in

Phœnix auis. Chora esse traditur, una & Syagrorum. Mirumq; de ea accepimus cum Phœnice aue, quæ putatur ex huius palmæ argumento nomen accepisse, iterum mori, ac renasci ex seipsa, quod erat prius pomis refertam. Ipsum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus distans,

sapore ferino, quem fermè Syagris nouimus, euidentißimeq; causa est nominis. Quarta autoritas Sandalidum, à similitudine appellatam. Iam in Aethiopiæ fine quinq; earum nec plures arbores tradunt, non raritate magis quàm suauitate mirabiles. Ab his Caryotæ maxime celebrantur & cibo quidem, sed & succo uberrimæ, ex quibus præcipua uina Orienti iniqua capiti, unde pomo nomen. Sed ut copia ibi atq; fertilitas, ita nobilitas in Iudæa, nec in tota, sed Hierichunte maxime. Quanquàm laudatæ & Rachelaidæ, & Phaselidæ atq; Libyadæ gentis eiusdem conuallibus. Dos his præcipua, succo pingui lactentibus, quodamq; uini sapore in melle prædulci. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorũ longitudinem efficiunt: minus speciosæ, sed sapore Caryotarum sorores, & ob hoc Adelphides dictæ, proximam suauitatem habent non tamen eandem. Tertium ex his genus patet, & nimio liquore abundat, rumpitq; se pomi ipsius etiam in suam matrem ebrietas calcaris simile. Suum genus sed è Caryotæ. Hierichon. sicciore turba iacens dactylis prælonga gracilitate curuatis in terram. Nam quos ex his dijs dicabant, in totum arentes Thebaides atq; Arabicæ macro corpore exiles, & aßiduo uapore

torrentes: crustam uerius quàm cutem obducunt. In ipsa quidem Aethiopia friatur hæc, tanta est siccitas, & farinæ modo spissatur in panem. Palmulæ itaq; assumuntur in cibum, & ex ipsis acetum ac mel fiunt et farina. Nucleis pro carbonibus utuntur, & aquis macerati equis pabulum præstant. Nucleorũ tegumenta ad unguenta præparant. Est & in usu medico nucleorum cinis combustorum.

Elates. Elates quoq; non negligatur, est autem palmularum operimentũ, licet uarie apud autores accipiatur. Quoniã Dioscorides corticem putat. Sed Plinius lib. 23. cap. 6. Elatem uel Spathen priuatim genus palmæ facit, cuius fructus inuolucrum sit. Forta

Muza. ßis autem ut Ant. Musa coniectat Elate Plinij est fructus ille dulcißimus quem uocant Musam, uel ut Mauritani loquuntur, Muzam, hoc est mitem, qui habet prunorum craßorum similitudinem. Rem mirandam Aristot. in 7. problem. & Plutarchus

Palma uictoriæ signum. in 8. Symposiacorũ tradunt. Quod si supra palmæ arboris lignũ magna pondera imponas ac tam grauiter urgeas, oneresq; ut magnitudo oneris sustineri non queat, nõ deorsum palma cedit, nec intra flectitur, sed aduersus pondus resurgit & sursum nititur recuruaturq;. Propterea, inquit Plutarchus in certaminibus palmam, signum esse placuit

uictoriæ

uictoriæ: quoniam ingenium eiusmodi ligni est, ut urgentibus opprimētibusq; nō cedat. Meminit A. Gellius in noctibus Atticis lib. 3. cap. 6. Verum Antonius Musa Brasauolus contrarium sentit in Examine fructuū, dicens: Fabulosum arbitror palmæ lignum cōtra pondera inniti ac recuruari, experientia etiam debile lignum esse demonstrante.

Daphnoiden, Eupetalon, Peplion, Chamædaphnen Latini Laureolam appellant à similitudine foliorum lauri. Germani uocant Keller*s*halß. Cubitalis frutex ramulos habens multos, à medio in superiorem partem iunceo lentore flexiles, flores habet candidos, fructum cum maturuit nigrum, & radicem inutilem. Calida est eius intemperies admodum & sicca, erodente & feruido in ore & faucibus sapore. Folia per inferna pituitam educunt, uomitiones & menses cient, purgat quoq; & semen eius.

Dauci secunda species fortaßis est leuisticus uulgaris, inquit Manardus. Herba in stipulis tritici crescens, quam Daucum appellant, à Dioscoride σαφυλῖνον ἄγριον, id est, Pastinaca syluestris dicitur, & pastinaca erratica: habent enim ferè easdem uires (satiua autē pastinaca ad usum medicum minus ualet) ut sapor, odor & reliqua

ostendunt. Falluntur qui Daucum pastinacæ speciem esse ducunt, antiquioribus nihil tale scribentibus Cordus Daucum Creticum esse existimat, quam Germani Berrwurtz nominant, nec abludit historia et Dioscor. tota descriptio. Quod si ita est quemadmodum hoc etiam nobis arridet, Dioscorides admirandam eius radicis prolixitatem describere omisit. Quum enim, ut Bauariam & Hercyniam transeam ubi frequentissime progignitur, in alpibus circa Suuoczium uberrimè proueniat, quod eruditissimi uiri Georgius Tanstetterus regius, & Ioannes Milichitaleros Suuoczensium dominorum & populorum liberorum ex conducto medicus nobis significarunt, ab Alpinis hæc radix Me taun, quasi montana dicitur, ad cuius finem effossores nullis unquàm eruncationibus peruenire poßint. Serapion & recentiores daucum & Bauciā, id est pastinacam inter se confundunt, quum tamen esse diuersa liquido constet. Falluntur etiam qui semina Meum uocata Creticum daucum esse definiant, quum hæc nullo modo sint pilosa.

Delphinion quære in Seua & rursum in Hiacyntho.

Dentem Leonis quære ubi describitur Lagopos.

Diapensiam quære in Sanicula.

Dictamus nascitur in sola Cræta: imò in asperis montium & montosis Crætæ locis, alibi degenerat, & Pseudodictamus efficitur, in tantum ut etiam in locis Crætæ non asperis in Pseudo dictamum degeneret. Pharmacopolæ Italorum in Apenino & in Veronensibus montibus, ut scribit A. Brasauolus, Dictamnum eruunt, qui neq; Dictamus neq; Pseudodictamus est: consentaneum itaq; apud nos Germanos dictamnum ueram desiderari si officinæ nostræ Italica dictamno instruuntur. Virg. & Statius florem ei affingunt quem tamen Dioscorides negat.

Dyctamn[illegible] precip[illegible] facultas contra uenenatos morsus licet nusq̃ meminerit Nicander.

Dipsacon, semper sitientem & labrum Veneris quære in Virga pastoris.

Distillationis herbarum atq; aliorum simplicium pharmacorum libet hoc loco meminisse ea potißimum gratia, quoniam institutum huius libri uniuersum in herbis & terræ plantis situm est. Ne quid itaq; cuius legitima mentio facienda fuerat, huic desit tractationi, non displicet nobis præ alijs is extillationis modus, quem uir doctißimus & maiori præconio dignus, quàm quo illum

Aquæ ex herbis ui ignis eliquatæ

quo illum nonnulli, qui uidentur sibi egregie eru-diti, traducunt. Ioannes Manardus Ferrariensis li-bro 15 Epistola 5. *probauit & edocuit subscriptis uerbis.* Errant & hallucinantur qui putant eandẽ uim adesse aquis per ignẽ ab herbis extractis, quæ toti herbæ: quum neq; idem odor, neq; idẽ sapor, in aqua qui in herba erat, seruetur, sed plerunq; contrarius. Aquã enim ab absynthio dulcẽ, à menta et ocymo mali potius quàm boni odoris exire uidebã, quod certam mihi fidem faciebat, quod non eisdem uiribus aqua sola, quibus tota herba polleret, cœpi anxie cogitare, quo nam ingenio ualeret idem odor & sapor in aquis hisce custodiri, qui in tota planta reperiretur. Longum autem esset scribere modos omnes, quos ad hæc consequenda attentauerim Sed unum tantum attingam, qui melior mihi simul uisus est & facilior. Is autem est ut in duplici uase, eo modo quo Galenus iussit omnia unguenta confici, hæc fiat operatio, ita tamen ut eius uasculi fundum in quo herba continetur, aquam in maiore bullientem non attingat, sed solo uaporifero humore ab eo eleuato incalescat: à calore enim illo miti, ex totius herbæ substantia, uapores, exhalant qui in aquam uertuntur, omnium hærbæ partium uires adseruantẽ, quæ ex odore & sapore aperte

cognoscuntur

cognoscuntur. Nec ab re fuerit fortaßis huiusmodi ut ignis eliquatis aquis nonnunquam uti, præcipue uerò ubi studiose & cum solertia præparatæ fuerint, argumento odoris satis elegantis persuasis nobis, qui in nonnullis reliquus est ab extillatione facta, quemadmodum rosarum, Saluiæ, lauandulæ et quarundam aliarum herbarum aquæ præ se ferunt & declarant. Chymicis tantũ nõ consuluimus aliquis se committat fraudibus & imposturis. Nam hæ si quando in medicam profeßionem irreperet, periculum illud magnopere probis medicis adduceretur, ut nunquàm non timendum esset, præclaram hanc medendi artẽ ab huius farinæ Chymistis prostituendam esse absurdis uanitatibus. Porrò ut & nos distillatæ cuiuspiam aquæ nõ ita contemnendæ specimen aliquod edamus, lubet hic interserere extillatam magni momenti aquam, quæ certissimum statim adfert remedium, comprimum in os Epileptici iam paroxysmo correpti indita fuerit, unde ilico reuiuiscit recreatus, & eodem temporis puncto liberatus surgit, neq; ullo spasmo amplius conuellitur, donec per crementum exaucta aut progenita noua morbi causa, ut fieri solet stato tempore post aliquot dies paroxysmus alius oboriatur. Equidẽ huiscemodi Epilepticum paroxysmũ impediens,

Comitialis morbi paraxysmi præsentaneum remedium

diens, auferens atq; sanans medica aqua elicitur hac arte. In uas extillationi accōmodū imponuntur Cerasa nō iam exiccata & rugosa, sed quæ nō multo ante tempore ex arbore sunt decerpta, atq; adhuc succi plena, fiat humoris intra cerasa contenti ui ignis mediocris eliquatio, quem diligenter ut rem preciosam atq; ære multo uix redimendam curabis adseruandum, de quo in os epileptici hominis coëffundas, quoties eum paroxysmo laborare contigerit, & statim inhibebis impetum uiolentißimi morbi. Dosis eius aquæ sunt drachmæ quatuor aut etiam plures. Considerabis tamen è tribus cerasorum generibus quæ fermè nusquam non prouenīunt, ea esse ad hanc distillationem adornandam quæ Germanis priuatim Cerasa, hoc est, Kyrschen appellantur, dulcia quidem illa plusquàm alia duo genera: quorum alterum magis rubrum alterum magis nigrum, utrunq; tuberiosius & pinguius, adde & magis acidum est, illo nostro, quod hoc præsens nostrum flagitat institutum.

Dorycnium est quod aliâs Pyrethrum et herba saluaris à Romanis uocatur, quod mansa, affatim saliuam eliciat. Sudorem prouocat oleum illitum in quo pyrethri puluisculus maceratus est. Adde quod priuatim experti sumus, præclaram

utilitatem

utilitatem adferre particulæ paralysi afflictæ unguentum è pyrethro & oleo super ignẽ conflatum.

Dracontium magnum & Dracunculus maior Germanis uocatur Naterwurtz. Dracontia & Dracunculus minor klein Naterwurtz. Virgil. Marcel. de his non in eleganter ita commeminit, Poterunt dicens: uolentes quod in historia à nobis factũ est, in medicina etiam facere, collatisq; simul tam multis utriusq; remedijs ex his etiam nõ duos, sed unum tantum Dioscoridi fuisse Dracunculum quondam, existimare. In quam partem inclinat animus nobis, & si utrunq; caput à nobis uersum est. In tanta enim ueterum scriptorũ & codicum uarietate quæsita diligentius re ipsa, unũ tantum Dracunculum in orbe hoc nostro nasci deprehendimus, duobusq; locis inuentã eius plantam toto anno contemplari licuit, maiori in Dioscoride penitus & ubiq; similem, & paulò inferius. Folia totam acutæ cumicis figuram referebant, & quod Diosc. ait, sibi inuicem implicabantur sex septẽmue uno pediculo pendentia. Nec aliter quàm in hominis manu à brachiali quina diuisione digiti diuiduntur, cum tamen una manus sit, sic in Dracunculo idem folium in quinq; diuisiones quasi partes diuidebatur, sic inter se dispositas, ut altera alteram

alteram ſcandere & ſuperſtare uideretur, pendebantq́; folia illa omnia ex uno eoq́; craßißimo, ut in folijs & longißimo pediculo. Minimi enim humani digiti craßitudo, longitudo autẽ paulò minus quàm pedalis erat. Huius Dracunculi maioris nos teſtes oculati ſumus: minoris uerò, modo alius à maiore ſit, nec nos alijs ſumus, nec nobis alij teſtes fuerunt. Vide plura in Aro.

Dryopteris ſpecies filicis naſcitur in ueterum roborum muſco filici ſimilis, minore tamen foliorum inciſura, radicibus inuicem implexis, hirſutis, guſtu acerbis in dulcedinem uergentibus, ut propterea ſues qui illa afficiuntur omnẽ etiam circa terram ſubruant quò eis ueſci liceat. Vide Dioſcoridem in 4.

Dracunculo uero adijciendũ duxi, Dracontiam illam Dioſc. & ſerpentariam & colubrinam non eſſe, quod quibuſdam uidetur, biſtortam uel bitortam. Quoniam Biſtortæ radix eſt frigidæ & ſiccæ intemperiei, quum Dracontia ſit calida.

Draco arte ſeri poteſt ubiuis locorum.

Draconem uulgo uocatam herbam olitores in hortis ſerunt, toto genero Dracunculo dißimilem, quam mirabili quodam modo naſci prædicant ex lini ſemine, raphanis aut ſcyllæ bulbis incluſo, & ſic in terram obruto. Herba eſt puſilla, folijs

folijs hyssopum uel linum imitata, caule cubitali, nigro & minuto semine, folio tenui & oblongo, acri, utranq; originem prodente, linguam & folio & radice amburens aceti & salis gustu. Hanc inter acetaria olera gratissimam celebrant, quod nec salem, nec acetum exigat, utriusq; saporem referens, utriusq; parentis dotes, ut puto retinens. Sipontinus pyrethrum à ueteribus appellari putat falsus quadam saporum cognatione. Ioan. Ruelius.

E

EBenum quære in Hebeno.

Ebulus est apud Dioscoridẽ Chamæacte.

Ebrios consopiendi rationem require in Bacchare.

Echion quære in Alcibiadio.

Elenium est Inula nostra uel Enula Campanica.

Elaterium medicamentum fit ex succo Cucumeris anguini, qui & syluestris & erraticus uocatur. Cuius expressum siccatur, & in pastillos autumno conformatur: fit autem non ex folijs neq; ex radicibus, sed ex fructibus illius cucumeris. Eius dosis secundum Dioscor. lib. 4 cap. 149. maxima quidem est integer obolus, minima semiobolus, in-

fantibus ærei duo, maiori enim copia potum periculosum est. Purgat per inferna pariter & superna, bilem & pituitam trahens, purganturq́; eo utiliter qui spiritus angustijs laborant. Theophrastus eius uim ad ducentos annos perdurare autor est, & melius euadere quò uetustius fiat. Plinius quoq; nullum medicamentum diutius perdurare tradit, fractumq; admotam lucernam extinguere usq; ad quinquagesimum annum. Tantæ autem fuit apud ueteres celebritatis, ut illo fuerint usi multo frequentius cæteris. Meminit Manardus lib. 13. Epistola 1. quum, inquit, De purgatorijs medicamentis illud in primis aduertendum, antiquiores calidis & uehementibus atq; corpora ualde agitantibus purgatorijs usos, quod uel ex Elaterij nomine licet agnoscere, quod latine Agitatorium dici potest: nam ἐλαύνω impello significat: quo nomine non solū in Cucumeris agrestis succo, sed in omni purgante medicamine utebantur.

Endiuiam *quære in Seride.*

Epimelida *quære in Mespilo, est enim Mespili species, unedo, teste Galeno, etiam Latine dicta in lib. 6. de Simplicium medicinarum facultatibus dicente,* στρυφνὸν φυτὸν δὲ, καὶ ὡς ἂν εἴποι τις ἀγρία μηλέα, καλεῖται δὲ ὑπὸ τῶν

κατὰ

κατὰ τὴν ἰταλίαν ἀγροίκων ὀνέδων. πλεῖσον δὲ ἐν τῇ καλαβρίᾳ γίγνεται, ὁ καρπὸς δὲ αὐτῆς στρυφνὸς μὲν καὶ κακοστόμαχος δὲ, καὶ κεφαλαλγής. ἀναμέμικτη γὰρ αὐτῷ τις ἀλλόκοτος ποιότης, id est, Epimelis acerba planta est, utq; dixerit quispiam, pomus syluestris. Vocatur autem ab Italiæ rusticis Vnedon.. Ingens eius in Calabria prouentus Fructus eius acerbus quidem est, nihilominus tamen stomacho ingratus, & capitis mouens dolores. Admixta siquidem ei est aliena quæpiam qualitas.

Epithymus Dioscor. lib. 4. cap 172. non est Epithymus Arabum aut noster uulgatus epithymus. Nam Diosc florẽ esse thymi epithymum censet. Noster Epithymus à Plinio describitur lib. 26. cap. 8. & nascitur sine radice rubens tenui similitudine Pallioli: nasciturq; circa thymũ unde Epithymus appellatur. Et sunt rubri ferè capilli qui circa arbuscula & herbas nascuntur sicut circa linum uocata Cuscuta nascitur, quæ & ipsa ex hoc genere uidetur. Circa myrtũ aliquod simile fit, sed id uere epithymus, qui thymũ ueluti Palliolũ ambit. Sunt aũt tres species thymi. Albus de quo Diosc. lib. 3. Niger cuius Theophrast. et Plin. meminit, et tertius q assimilatur Satureiæ Thymus niger, ut docet Thymus

Aëtius nõ debet esse in usu medico, quoniam temperamentũ corrũpit & bilem generat. Relinquuntur igitur duo thymi genera in usu medico, thymus albus & thymus similis Satureiæ. Hic thymus Satureiæ similis, flores habet herbaceos qui Epithymus dicuntur, & hic est Epithymus de quo Dios. li. 4. agit, quẽ dicit esse florẽ thymi durioris similis satureiæ. Sunt autem capitula tenuia, & leuia codicula habentes quasi crines. Hunc Epithymum non habemus, & recte animaduertit Plinius esse flores è thymo simili Satureiæ. Altera species Epithymi est, palliolum illud circa thymum sine radice, de quo nullus antiquorum præter Plinium locutus est. Affertur ex Apulia & Creta & orientalibus partibus, hoc utimur. Mesue dicit esse simile Cuscutæ, de quo nec Dioscorides, nec Paulus, nec Aëpius unquàm tractarunt, qui tantum primum exprimunt, qui quum sit flos alterius speciei thymi, propter id 3 libro de Thymo albo Dios. tractat, quarto autem libro de hoc flore, ut pote de diuersis speciebus: & inuolucrum appellat: quia pediculi florum ueluti caudæ inuoluti sunt, & crinibus assimilantur. Noster Epithymus igitur apud antiquos Græcos non fuit, sed apud Arabes. Dioscorides sui Epithymi ad summum quatuor drachmas tri-

mas tribuit. Mesue ad 20 accedit. Non prudenter igitur Manardus Mesueium reprehendit, qui 20 drachmas dederit & tamen Dioscoridem 4 & Plinius 6 ad summum admiserint, quum sit alius Epithymus Mesuei ab illo Dioscoridis diuersus. Hoc quidam obseruandam esset, quoniam pro atra bile ordinatur Epithymus, flos timi Satureiæ similis sumendus esset, loco autem ipsius potius flores nostri thymi sumerem, quam capillamenta illa, ueluti palliolum: nam flores illi melancholico humori aduersantur, nec tamen ita capillamento illa omitterem, quibus ferè omnes utuntur, ut penitus negligerem: quum Plinius eandem ferè uim habere cum thymi flore tradat. Habes A. Musæ Brasauoli sententiam, quæ quoniam ad ueri inuestigationem mihi uisa est quàm proxime accedere, dignissima iudicata est, quæ huc transscriberetur, fieretq; bonis omnibus lectoribus multum communis.

Ephemeron tractauimus in Colchico.

Equisetum excussum est in Corrigiola.

Equinam caudam quære ibidem.

Erigeron non est Carduus benedictus ut Herbarij et Genuensis confingũt, sed herba quæ latinis Senetio dicitur habens exigua folia Erucæ modo in extremitatibus incisa & longe quàm Erucæ

sunt minora. Cuius etiã lutei flores cito postq̃ enata est, dehiscunt, et in pappos euanescunt, unde uidetur esse Erigeron dictũ, quia Græci ἦρ uer appellant, γηρῶν autẽ senex eidem genti uocatur. Ad restinguendas inflammationes utile comperit Cordus, & Dioscorides illi refrigerandi uim tribuit. Fortassis ea est quomodo Manardus quia, & in muris nascitur ab italis Petrellam uocari tradit, à Germanis kreutzwurtz, id est cruciatam herbam à similibus, scilicet folijs.

Erinos eadem est cum Echino licet Paulus diuersas faciat.

Erycam quære in Myrica. Brunfelsius tamen hanc putauit herbam esse illam quæ uulgari idiomate Pfrymmen appellatur, nemini ignotam.

Eruum quære in Orobo.

Eryngion. quem corrupte Iringum & Germani, Mannes trew, hoc est uiri fidelitatẽ uocant. Barbarus Carduum esse multis & stellatis capitibus, omnibus carduis speciosiorem tradit: & quod radix eius sit tantæ longitudinis, ut raro integra, sed ferè abrupta effodiatur: quippe quæ sit etiam longior radice Moly, quæ habet radicem longam quatuor cubitorum. Pharmacopolæ zucharo uel melle eas condiunt, atq; ad excitandã Venerẽ,

& hyeme ut uentriculus calefiat, utuntur. Duplex extat Eryngium: Vnum habet radicem extra nigram intus candidam. Alterum radicem habet etiam extrinsecus candidam, quam Centum capita uocat Plinius, licet etiam id nomen in nigro Diosc. scribit. Huc facit non parum Eu. Cordi exacti iudicij uiri sententia, qui Germanos inquit omnes qui se Eryngium nosse putant, carduum istud indicare, quem wallendisteln, id est, aggerum carduum uocant. Eidem & centum capitum nomen admodum congruit, quod plurima scilicet capitula spinosa et quasi stellata gerat. Sed hæc nullum effatu dignum odorem habet, qui tamen à Diosc. & Plinio Eryngij radici tribuitur. Imo & centum capita Plinius raram inuentu, tradiq; radicem eius alterutrius sexus similitudinem referre, uideri sibi Cordus dicit, an forte Carduus panis quem uulgo eberwurtz uocamus, aliqua Eryngij species sit. Neq; enim Chamæleon albus est carduus ille panis, ut quibusdam uidetur: quia cubitalem huius cardui caulem esse constat, quo albus Chamæleon prorsus caret. Alter autē Chamelcon uenenum est qui caulē habet: cardui panis uerò radice homines uescuntur, & multis incōmodis medentur, hac tamē infamia male audit, quod uescentis quidem uires augere, sed iuxta uersantis auferre dicatur.

Centum capita.

Carduus panis.

Erythrodanon *Dioscoridis lib. 3. cap. 51. experimento esse constat uocatam Rubeam tinctorum, Manardo & Brasauolo subscribentibus: sed* ῥοῦς ἐρυθρὸς *quem nonnulli cum Erythrodano confundunt, diuersus est fructus, qui Arabice Sumach nuncupatur.*

Pityusa Paralion. Cyparissus

Esulam *describendo Manardus ita prodit in annotationibus in Mesueum. Satis tres hæ plantæ inuicem conueniunt, Pityusa uidelicet Cyparissia & Paralion. Paralion enim lini folio, Cyparißiam piceæ, sed tenuiore graciliorеq́;, & similiter Pityusam describit Dioscorides, satisq́; suspicor, ne quæ nunc Esula uulgo uocatur, Paralios potius sit quàm Pityusa: folio enim lini constare uocatam Esulam nostri affirmant herbarij. Brunfelsius aũt Cyparißiam aut Pityusam esse dicit, atq́; hanc ipsam Esulam maiorem. Anton. Brasauolus officiosius omnia elaborauit, Esulam nostram, dicens, apud Mesuem minorem Sebram esse arbitror & apud Auicennam absolute Sebram, apud Dioscoridẽ illam Tithymali speciem, quæ Paralios quasi maritima nũcupatur: quia in locis maritimis potißimũ nascitur, à Serapione corrupte Peralios dicitur. Sebra aũt Serapionis nõ est nostra Esula, sed est Diosc. Pityusa, cuius radix apud Dioscor.*

Sebra minor.

Turbet

Turbet dicitur. Nico. Leonicenus adiectitium & suppositititiũ in hoc autore existimat, similiter Marcellus, Hermolaus prӕterit omnino, neq; id caput commentatur. Actuarius tamen Barbaros radicem Pityusӕ uocitare Turbit scribit: & cõstat posteriores Grӕcos Pityusӕ radicem Barbarorum Turbit putaße, licet hoc falsum sit de Serapione. Manardus Turbit Mesuei sibi uideri ait secundam speciem Tithymali quӕ à Dioscoride Myrsinites dicitur, sed Turbit Serapionis nonnulli contendunt esse Dioscoridis Tripolium. Musa Brasa. non inuitis Musis & Apolline herbariam Medicinam exponens, rem ita absoluit. Duӕ radices Ferrariam comportantur, altero subrubro uel subnigra aut cinericia: altera alba, quӕ ex monte Gargano Apuliӕ feruntur, & maritimis potißimũ locis. Radix illa subrubra, aliàs cinericia, qua utimur, gumosa est Mesuei Turbit: habetur potißimum in officinis, & est intus album extra subrubrum aut subnigrum aut cinericium. Planta ipsa folia ferulӕ non habet, ut illa Mesue attribuit, sed myrti, maiora tamen. Ideò Mesuei codicem corruptum esse arbitror, & myrti non ferulӕ legi debere. Pro constanti igitur habeo Mesuei Turbit secundam speciem Tithymali esse apud Dioscoridem & Serapionem

Turbet.

Secunda species Turbit.

Secunda species Turbit.

pionem. Licet idem Serapio aliter tractet de Turbit: nam ubi de Caliumari quod Tropolum Græce uocatur, tractat. Tripolij radicẽ adserit eße Turbit. quanquàm caricamon corrupte legat pro Caliumari. Hoc tamen Turbit nec in usu est, nec à pharmacopolis cognoscitur. Ea uerò radix alba crassa, quæ ex monte Gargano Ferrariam adfertur est Turbit Dioscoridis, id est, Pityusæ radix: est enim alba, crassa & succo madida, & ex herba habente folia minuta exacuta similia Piceæ sumpta & est inodora. Serapionis autem Turbit est odoratum. Turbit officinarum Manardus quoq; confirmat progigni è secunda Tithymali specie quum inquit. Quod paßim in officinis nunc pro Turbit uenditur, ut à fide dignis intellexi, ex planta accipitur quæ folio Myrti constat.

Tertia species Turbit

Eupatorium uerum esse agrimonium uulgatum eruditi medici deprehenderunt ex Dioscoride. Libet hic meminisse quo pacto eadem sententia per barbarum aliquem scriptorem, nempe Mesueum probari & euinci poßit. Illi enim decipiuntur, inquit, Brasauolus in libro de Syrupis, qui Mesuei Eupatorium esse iudicarunt: nam Mesueus cum Dios. in Eupatorio conuenit. Quippe Mesuah dicit, est herba lõgitudinis cubiti, Dioscorides

autem esse herbam cubitalem, & aliquando ampliorem scribit. Addit Mesue, multæ amaritudinis quod non ponit Dioscorides. Addit etiam Mesue. cuius folia sunt sicut Centaureæ minoris uiridia. Nec istud ponit Dioscorides, tamen uerum est: Quæ autem à Mesueo dicuntur de eius folijs, quod sunt aspera, incisa, & stipes eius est subtilis, hæc à Dioscoride annotantur. Etenim dicit folio per interualla inciso, prius autem dixerat hirsuto, quod est esse asperum, dixerat etiam tenuis scapi, ut non uideatur dubitandum. Mesueum Dioscoridis Eupatorium, quod est Agrimoniũ uulgare, uoluisse describere, sed id quàm barbare fecit. Vulgatus autem error quo hactenus medici Argemones, quod corrupte agrimonium uocant, nomen tantum retinuerunt, atq; eandem herbam Eupatoriũ non posse appellari existimauerunt: inde profectus uideri potest, quod Arabes quondam etiam Serapionis seculo Eupatorium esse Agrimoniũ putauerint. Quos tamen redarguit erroris idem Serapion cap. 77. ubi historiam Cafut, id est, Eupatorij ex Dioscoride repetit & Galeno, quibus tandem subiungit hinc appendicem. Et sunt multi, dicens, qui putãt istam herbam, nempe Eupatorium esse Argamoniũ, & errant: quoniam Argamoniũ est alia

est alia ab ea, quam nos alibi manifestauimus &c.

Euphragiam uide inferius lib. 2. inter recens inuenta medicamina.

F

FAbas nostrates non esse fabas à Dios. Celso, Galeno & Plinio descriptas conuincit Cordus iuxta finem sui Botanologici. Nam citati scriptores fabas rotundas & longe minores, utpote quarum non pauciores 18. drachmam unum faciant, describunt: quum fabarum nostratium quædam sint adeò magnæ, præsertim purpureæ, ut singulæ singulas drachmas pendant. Ad hæc accedit etiam diuersa figura, facieśq; oblonga & aliquantulum plana compressaq́;. Vide tamen nonnulla inferius in Smilace.

Faba inuersa seu Lunaria herba secundum Iacobum Manlium est Solanum somnificum. Cordus historiam repugnare existimat.

Farfaram quære in Bechio.

Febrifugam quære in Parthenio.

Festucæ uel festucaginis meminimus in Aegylope.

Filiculam quære in Polypodio.

Filipendulam quære in Oënanthe.

Filium ante patrẽ in Antipatro excußimus.

Felix

Filix herba est quæ à Dioscoride Pteris dicitur, abominabilis quod mulieribus infœcunditatem & sterilitatem conciliat. Diuersam tamen huic inesse plantæ facultatem credidit circumforaneus quidam agyrta, qui nuper eam nobili & potenti matronæ Monachiensi, pro conceptu promouendo exhibuit, & pro difficulter concipiente planè sterilem effecit: talibus enim medicis gaudet ferè mundus uniuersus. Quum ergo filicis duo genera proponat, marem uidelicet & Thelypterin uel Nimphæam pterin: neutra danda est fœminis, quoniam grauidis abortum, cæteris sterilitatem facit.

Fistici apud Diosco. lib. 1. cap. 155. Pistacia dicuntur, quæ reserant iecur, & aperiunt oppilationes. De his agit Plinius lib. 13. cap. 5. dicens. Syria præter palmam, peculiares habet arbores. In nucum genere Pistacia nota. Prodesse aduersus serpentem traduntur morsus, & potu & cibo. Lucius Vitellius Censor hanc nucem in Italiam portauit. Maximus est eorum in re Venerea usus, & supremum tenellum & uiride corium eius non corticis sed nuclei operimentum in re medica plurimum ualet. Auicen. de uiribus cordis confortare cor tradit pistacia. Rabbinus Moses ubi pista-

ciorum

ciorum historiam consuit, meliora ea adserit omnibus fructibus: uentriculum enim & iecur confortare contendit, esseq; temperate calida & sicca decernit.

Flammulam quære in Coronopode.

Malabathrum.

Folium Indum quod est Malabathrum non est Nardi Indici folium, neq; est lenticula paludum Indiæ, sicut nonnulli putant. Sed est folium sine radice sicut lenticula innatans. Diciturq; foliũ per excellentiam, quia nullum folium odore & perfectione, dempto Nardi folio quod tamen paruum est ipsum excidit. Nec quæ Venetijs uenduntur folia oblonga, odorata, gustu acria feruidaq; ueluti garyophyllus, sicut Malabathri folia, sed sicut Garyophylli folia. Aliud folium Venetijs habetur Malabathrum appellatum, quod Arabes Tembul uocant, Et quod Alexandria Aegypti aduehunt, folijs lauris arbutiue simile. Plinius lib. 12. cap. 27 de duplici Malabathro uerba facit. Alterum dicens, est cuiusdam arboris in Syria folium conuolutum & aridum colorem habens, ex quo oleum ad unguenta exprimitur. Alterum folium de quo Dios. & eodem loco Plinius, qui in Indiæ paludibus modo lenticulæ innatat sine radice: quæ duo Malabathri genera uidit simplicium pharmacorum

corũ mirus artifex & sitibundus inuestigator Anton. Musa Brasauolus. Quæ mihi libuit hic retexere & repetere propter eos qui hæc folia nunquàm esse, & multis seculis nemini cuiquàm uisa contumaciter contendunt. Licet folia Garyophylli, quæ odorata sunt, & optimi gustus, nostri pharmacopolæ, atq; etiã Veneti, his folijs ꝓ folijs Malabathri utantur, ut idem Brasa. testatur in descriptione folij Indi & rursum in descriptione Garyophylli. Porrò in tanta Malabathri folij penuria, præstat succedanea hic recensere quibus pro folio possimus uti. De quibus audias eundem Brasauolum in libro de Syrupis ita scribentem. Duo à Paulo Aegineta traduntur pro Malabathro id est, folio in eius defectu sumi posse. Vnum est Nardus Indica à pharmacopolis Spica nuncupata, sed Nardus nostra ex India non affertur. Aliud est Cassia, quam nos Canellam uocamus. In hac magis certi sumus, ideò pro Malabathro Canellam reponas. Quum autem Venetijs pro Malabathro Garyophyllorum folia uendant non uereor folij loco Garyophyllorum folia sumere: nam & hæc folia suã habent efficaciam. Nec etiam mihi displicet quod eius loco Macis ponatur, & hoc est Arabum inuentum. Nempe Auicenna lib. 2. cap. 259. cum folium deficit Macin sumi iubet.

Fraxi-

Fraxinellam quære in Corrigiola, & iterum in Lilio conuallium.

Florem amoris quære in Amarantho.

Flos autumnalis explicatus est in Colchico.

Fumum terrę require in Capnio.

Fugam demonum descripsimus in Ascyro

G

Galangam quere in Acaro. Gallitricū & centrum Galli quidam Scarlacū uocant

Vrtica fatua.

Galiopsis, ut ex Cordo elicio, fortaßis Barocum esse credi potest, à Germanis binßaugen, quæ & Vrtica fatua. Brunfelsius autem Galiopsin Scrophulariam esse commeminit. Cuius facit tres species Maiorem, Castrangulam atq; Vrticam maiorem uocitatem et, Germanice sewwurtz & feigwartz wurtz. Minorem, quæ & Ficaria & Millemorbia baptizatur, Germanice pfaffen hödlin, id est, testiculus sacerdotis & feigwurtz, id est, herba maryscæ. Mediam quæ à nostris hominibus knaben krawt, fotz swang & gauch heil, appellatur.

Gallium est herba, Aparinæ quam nostri kleb kraut & kletten appellant, similis, nulla tamen asperitate obsita, quæ in muris & macerijs peculiariter nascitur. Quidam tamen hanc esse putant

putant Aspergulam appellandam. Sed Galliũ odoratos flores habere tradunt, & eam esse dicunt quæ Aperinæ quidam similis sit, sed multo minor ac humilior, imò & copiosioribus caulibus è terra exiens.

Galiopsios rursum meminit in Palinodijs suis Brunfelsius, & dicit Galiopsin uel Labeonem Vrticam se credere Plinij Lamiam. Consentit enim Hermo. Barbarus lib. 4. cap. 95. Corollarij uide Plinium lib. 22. cap. 14. Dioscoridem li. 4. ca. 90. secundum interpretationem Marcelli.

Galla maior omnibus nota est, sed Galla Omphacitis uidetur esse, quam uulgus Medicorum Cupulam glandium uocat.

Galli crus quære in Coronopode.

Caryophyllus, qui à gramine, Gras bluomen & negelen bluomen dicitur, pulcherrimus flos & summe odoratus, quē in fictilibus frequenter habemus, quo nomine ab antiquis appelletur inquit Anto. Musa Brasa. nunquàm apud antiquos reperi, quod tamen admiratione dignum est, quum dignus sit ille flos, ut à digno autore pingeretur. Hermolaus lib. 3. cap. 45. Non defuere inquit, qui Baccarem genus esse floris existimauerint, quem modo Gariophyllon uocamus, sed syluestris: ab

hac opinione tamen dissentiunt eruditi. Nunc ij flo res altiles spectantur, ab odore ita cognominati, tanta uarietate, amplitudine, pulchritudine, ut Rosæ pares, non inferiores uideri possunt, cum eáq; de principatu certent: quando nec colore superentur purpureo, uermiculato, candido: nec odore nisi quod à longinquo plus olet rosa recens. Iā nihil rosa fugatius, longißima namq; decerptis mora dies, Gariophyllo in triduum, & amplius uita, uigorq; durat. Aliquibus tanta magnitudo. Patauinarum præcipue matronarum cura, ut orbem utraq; manu complecti ferè nequeas. Folia quaterna quinaq; nonnullis rosæ modo numerosa mirabili quorundam Alabastro culturæ ratione, qui dehiscens, ipso staminium loco Alabastrum ostendit alium, pandentem se paulo post in florem, caliculo priore consenescente. Scio putare aliquos, Gariophyllos ueteribus fuisse Calthā. Sed quum Virgilius eam nobis luteolo cecinerit colore tinctam, nec Plinius à Virgilio dissentit, nondum uideo qui poßit id statui. Hæc Hermolaus. Quidem Cyanum falso esse putauerunt quam Baptisosellam corrupto uocabulo quasi Baptisæculam dicimus, quia secantibus & metentibus officiat, retusa in occursu eius falce, ut Barbarus in Leucoio docet:

Garyophylli uiridariorum.

Cyanos arbor.

Baptisecula.

uam

nam & Seculum ueteres appellarunt falcem. De Garyophyllo autē Aromatico & Indiano ita prodit eruditißimus Brasauolus. In India particulari quodam loco, arbusculum nasci tradunt, subamarum, in longum tendens, antiquitus pro odore utebantur: nunc & in ganeam transiuit, ut sine Gariopyllis despiciantur dapes. Paulus Aegineta garyophyllum uocat, quasi habentem folia nucis, quæ odorata sunt, & optimi gustus, adeò ut pharmacopolæ his folijs pro malabathri folijs utantur. Lusitana nauigatio garyophyllorum syluas inuenit adeò ingentes, ut quod nos salicum, apud Dioscoridem, non reperitur. Galenus & Paulus de eo tradunt Arabes corrupte Garunfel & barnafel appellant. Ludouicus Vartomannus Bononiensis, qui magnam orbis partem peragrauit, in descriptione itinerarij sui docet ultra Taprobanam insulam ad multa miliaria sitam esse insulam Monoch barbaris appellatam garyophyllorum, & præter hanc nullam aliam terram in Oriente, feracißimam: excepta Monoch & adicentibus quibusdam proxime breuißimis nonnullis insulis desertis & non inhabitatis, ad quas Monochienses nauigijs transmittunt, quo tempore mutari

Garyophylli ueri.

decutiuntur de suis arboribus gariophylli. Arbor, ipsa, inquit, similitudinem præfert Buxi, affatim in congeriem foliosa & ramosa, instar lauri folijs sed tamē maioribus & uulgatæ Casiæ respondentibus. Progignit hanc arborē terra arenæ multū aßimilis arena tamen non existens. Referunt terrarum nouarum indagatores Garyophyllorum nidorem per longum spacium in mari sentiri.

Gentiana à Gentio uel ut Diosco. li. 3. ca. 3. habet à Gentide Illyriorum rege inuenta esse primum creditur, à quo etiam factum illi sit nomen. Præter autem admirandas tum ab hoc tum ab alijs autoribus adsignatas uires, libuit hoc loci bonis omnibus significare præclari nominis & eruditionis non uulgaris annosum quendam medicum experientia obfirmasse, si portiuncula exigua huius radicis indies ieiuno uentriculo degustetur à quopiam, eundem hominem cum ualetudine inoffensa omniumq; sensuum organis illæsis ad extremam ætatem esse peruenturum.

Genistam quære in Sparto.

Geranium rostrum Ciconicæ à Latinis uel Gruina potest cognominari. Vide Dioscoridem lib. 3. cap. 122.

Gethis habetur in Garyophyllata.

Geum

Geum quære in Garyophyllata.

Garyophyllata quæ & herba Benedicta & Sanamunda uocatur, non est Lagopus, id est, pes leporis Dioscorides ut uoluit Pandectarius. Ex descriptione enim pedis leporis cuius solus Genuensis & Dioscorides meminerunt, constat Garyophyllatam apud Dioscoridem non reperiri. Si aliqua tamen sit apud antiquos, eam esse suspicetur aliquis, quam Plinius lib.26. cap.7. Geum appellat, quàmuis in quibusdam exemplaribus Gethis legatur, quam radices nigras & bene olentes habere tradit. Radix Garyophyllatæ, si Martio mense collecta fuerit Garyophyllos olet, unde illi nomen Garyophyllata inditum est. Si quis interne uulneratus huius herbæ decoctum bibat, sanabitur, externa autem uulnera ex ea collui debent. Valet ad pectoris & lateris dolores, & cruditates intra corpus hominis assumpta plausibiliter omnes discutit. Geum. Gethis.

Gialga uel Galga habetur in Polemonio.

Gladiolus ille apud Germanos luteis lilijs insignis non est Acorus siue Gladiolus Dioscoridis, dißidente radicis forma & sapore, qui potius adstringens & quasi insipidus quandam præ se fert frigiditatē. Germani gelb schwertlin quasi

Xyris est gladiolus luteus.

gladiolum luteum appellant Brunfelsius Dioscoridis Xyrin existimat esse lib. 4. cap. 25. hoc est, syluestrē irin. Nam gladiolus luteus, inquit Otho, meos posita ob oculos, idq; in exacto Septembre, ubi iam sementem produxerit herba, nihil non reperimus uel ad perpendiculum etiam descriptioni quadrare. Cordus florem obstare dicit, quoniam Xyri purpureus sit, quæ in agris inter sepes à Marcello dicatur progigni. Fortaßis si cætera respondeat nihil retulerit uarius florum color, quem contingit in pluribus plantis iuxta loci naturam & situm uariari.

Gnaphalium uide in Centunculo. Marcellus interpretatur Tomentum.

Glaucium in Syria & Parthia nascitur, granum habet crocei coloris, hoc in olla fictili luto circumlito in clibanis calefaciunt, deinde exempto succum exprimunt eiusdem nominis. Hinc temperatur Collyrium quod medici Diaglaucion uocant. Hodie in officinis Memitha dicitur barbaro Mauritanorum nomine. Ex Hierapoli Syriæ urbe defertur. Vide Leon. Fuchsium in Paradoxis lib. 1. cap. 36. Antiquū autem errorem explodere oportet, quo Chelidoniū maius uel papauer Cornutum esse Glauciū adseritur de quo Dios. agit li. 4. cap. 64. de Mecone Ceratitide, id est, de papauere

Cornuto. Sed de uero Glaucio agit li.3.ca.91. Plantatũ uerum Glauciũ in horto suo ostendit magni miraculi loco aromatarius quidã Louaniensis proceritatis duorum cubitorũ, & cætera respondens descriptioni Dioscoridis, quemadmodum nobis qui uidit Vuolphgangus Lazius Vienensis Medicinam Galenianam non uulgariter edoctus, retulit: quod & nos indicare hoc loci uoluimus, ne quis papauer illud erraticum, quod Germani wild maen, korn rosen, & glatzen appellant credat esse Glaucium, cuius historia extat apud Diosc. lib. 4. cap. 62.

Glandem Iouis quære in Castanea.

Glyzyrrhiza in Cappadocia & Ponto laudatissima, atq; etiam in Germania & Italia uiret, à Latinis radix dulcis uocatur. Theophrasti tempore nondũ fuit in usu, propterea Scythicam radicẽ appellauit lib 9. de Plant. histor. Equinũ fimũ aut bubulum mire odit. Vbi igitur hoc fimo solum stercoratur, glyzyrhiza diu perdurare nõ potest.

Gnidium granũ quære in Thymelæa.

Gorgylon ab Aegineta, Hordeilon à Nicandro, à Dioscoride Tordylon uocatam herbam Cordus Carui agreste interpretari uidetur, similibus putato Melilotho uerum minoribus & in circuitu minutissime crenatis folijs, cuius folia

nisi ualde exilia essent ad fumariam potius accedere uiderentur. Quæ paulatim pereuntia ramulos relinquunt nudos, & semine in siliquulis nasturcij sapore plenos.

Gramen & Græce Agrostis non est Polygonion quod tamen asserit Otho in lib. 3. sui Herbarij & quidam alij similiter senserunt, licet polygonion à Latinis inter alia cognomina nominetur etiam gramen.

H

HAlcyones & halcyonides quære in Alcyonio.

Halicacabus est secunda species Solani Dioscoridis, quam Arabes corrūpentes Latinum Alkekengi appellant, Græcis physalides, & Plinio hæc species Vesicaria dicitur, quoniam uesicis succurrit, aut quoniā folliculus ille in quo eius granum continetur cum uesica similitudinem habeat. Succus è grauis exprimitur, in umbraq; siccatur ad ciendam urinam, & euacuandam aquam intercutem.

Alkakengi physalides.

Harmala & Besasa Syris uocibus Galenus lib. 6. cap. 1. De Compos. Medic. κατὰ τόπους appellat Rutam syluestrem.

Hastulam regiam quære in Asphodelo.

Hebenum

Hebenum *quære inferius lib. 2. de Medicamentis recentioribus in dictione Guaiaci.*

Helenium *sunt qui putent esse Nepenthes, cuius succus uino immistus dicitur discutere tristiciam, ac malorum omnium obliuionem inducere. Nonnulli tamen Buglossum esse Nepenthes autumant: nam & Galenus in ipsius historia inquit,* καὶ τοῖς οἴνοις ἐμβαλλόμενον εὐφροσύνης αἴτιον γίνεται, *id est, uino iniectum hilaritatis causa efficitur, dicitur autẽ à* νὴ *priuata particula &* πένθος *luctus. Meminit Homerus lib. 4. Odysseæ, quum dicit:*

Plinius lib. 21. cap. 21.

Nepenthes Homericũ.

ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε Ἑλένη Διὸς ἐκγεγαυῖα,
αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον,
νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων
ὃς τὸ καταβρόξειεν ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
οὐκ ἂν ἐφημέριος γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
οὐδ' εἴ οἱ προπάροιθεν ἀδελφεὸν, ἢ φίλον υἱὸν.
χαλκῷ δηιόῳεν, ὁ δ' ὀφθαλμοῖσιν ὁρῷτο·
τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα,
ἐσθλά.

Hic rursum alia cogitauit Helena è Ioue prognata

Ilico nempe uino iniecit Pharmacon unde bibebāt,
Nepenthes iracundiæ expers, malorum obliuionem omnium.
Quisquis hoc deuorauerit posteaquàm crateri mistum est.
Non utiq; die tota eadem lachrymis erumpere queant per genas
Neq; si huic moreretur & pater & mater.
Neq; si quis huic antea fratrem aut dilectū filium,
Ferro sustulisset, ipseq; oculis intueretur.

Talia Iouis filia habebat pharmaca consilij plena, bona, Appellatur nepenthes etiā Nectarium, eò quod omnes curas abigat, tristiciam omnē aboleat, & perpetuam pariat læticiam. Et subit mihi in animum Helenium, id est, Inulam ipsam esse uerum nepenthes, medicis ita uisum ex hoc ipso huc transscripto Homeri loco, nomenq; illud Helenij esse assecutum, quò paßim à Medicis celebratur, eò quod inter præcipua pharmaca Helenæ hoc fuerit ad conciliandam læticiam potißimū usu.

Herbam saluiarem quære in Saluiari herba.

Herbam pulicarem quære in Psylio.

Herbam sancti Petri habes in Primula Veris.

Hederam

Hederam terrestrem in Asclepiade absoluimus. Hederis tamen omnibus hoc adiunge, certa experientia constare Gumi hederæ scropulũ unum aut duos magnopere sedare & arcere dolores uentriculi, si in peculiari potione fuerit exhaustum: id quod præsentaneum in pluribus præsertim muliercculis cognouimus remedium.

Hemerocallin Dioscor. lib. 3. cap. 128. Brunfelsius existimat, esse uocatum Lilium Conuallis, licet non per omnia quadret historia.

Heliochryson quære in Amarantho. Est enim una herba nec differunt quasi duæ essent, licet Aegineta id putauerit, appellatur Germanis Rein blůmen. Est autem illa quæ hodie Stoëchas dicitur Citrina. Vide Dioscor. lib. 4. cap. 55.

Theocritus in Idyllio primo & secundo helichryson ξανθὸν, id est, flauum esse insinuat.

Helxine herba Græcis appellata, à muris Muralis herba sicut à parietibus etiam Parietaria uocatur, uulgus Italorum à uiriditate lucida uitriolum appellat, quia ueluti uitrum splendescere uidetur, uel quia uitrea uasa hac abluuntur. Vnde Auicenna herbam uitri appellat. Dioscor. lib. 4 in parietibus & sepibus nasci testatur, & habere caules leuiter rubentes, folia herbæ mercurialis, hirsuta semine obducto circa caules, et tenaci, ut uestibus etiam inhæreat. Plin. ferè lib. 22. cap. 17. cõcordat,

dicitur

Alſine

dicitur etiam Parthenium. Eſt & altera Helxine quæ Myoſotis dicitur, id eſt, auricula muris, quam quam ab aliquibus Alſine à Dioſco. et nõ Helxine dici exiſtimetur. Lanuginoſa autem altera herba

Philoſella.

muſculorum auribus adſimilis, à Germanis Auricula muris uocata, non eſt uera auricula muris ſed piloſella, herbula nõ negligenda penitus. Siquidem & nos à mulomedicis experientia didicimus hanc piloſellam equis adminiſtratam quocunq; id modo fieri poterit, hanc præſtare facultatem de ſe, ut faber dum ferreas ſoleas iumentis affigit ferreis clauis, ledere beſtiam non queat, ſed ſola perforata ungula, reliquus pes non confodiatur, id quod tamen negligentibus fabris ferrarijs non raro uſu uenire

Helxyne parietaria.

ſolet. Hinc etenim eſt quod Clauorum herbam appellant. Maximorum hic medicorum error exterminandus uenit, ut diligenter An. Muſa Braſauolus admonet, qui Helxine pro calida & ſicca utuntur, quum tamen frigida ſit. Quumq; illi ex parietaria pro frigida materia, & in doloribus ex uentoſitate fomenta parent, Dioſcorides tamen frigidæ & aſtringentis naturæ eſſe contendit. Celſus. Plinius, Paulus, Galenus & Aëtius etiam humiditatem habere fatentur, quare aperire, reſoluere & urinã prouocare non poterit. Fortaßis error inde inoleuit quia

ait quia Parietaria etiam Parthenium appellatur, quod pro fomento ualet ad dolores, quod calidum est, & frigidis doloribus occurrit. Parthenium autem Musa uocatum à uulgo Italorum Brusaculum existimat quæ est Serapionis Matricaria. Her. Barb. & Manardus parthenium ueram matricariam esse asserunt, utram autem accipias, calida hæc demum erit. Scias insuper apud Galenũ et Aëtium li 11 ca 23 ubi de suppressa urina curandam agitur Perdicium Parietariam esse, qua Aëtius uti uidetur ut calida, quia ad prouocandam suppressam urinam. Sed considerata tractata materia, aliter se res habebit, agit enim de suppreßione urinæ, quæ fit ob negotiorum importunitatem, aut concionem, ubi quis mingere nequeat et uesica impleatur tunc enim os eius magis constringitur. Per cõpressionẽ autẽ manus super imũ uentrẽ urina lente exprimitur. Ad quod etiã prodest Perdiciũ, id est Helxyne uel Parietaria. Est equidẽ frigidæ & astringentis naturæ, tanquam igitur manus exprimet et paulatim urinã exire faciet. Parietaria autẽ uera non est quæ à luteis simul et purpureis floribus à Germanis nox & dies, siue tag vnd nacht appellatur quasi altero colore nocti et altero diei respondente

Hemionitidem quære in Ceruina lingua.

Hiberis

Hiberis describitur à Dioscoride .li.1.ca. ult. Hermolaus interpretatur syluestre Nasturcium, quia odorem & saporem Nasturcij habeat. Manardus li 9 à nonnullis scribit appellari Lepidion. Marcel. Virgilius atq; idem Manardus hoc caput cum capite de Halicacabo quod ponit Ioannes Ruellius putauit Dioscoridi accreuisse. Aëtius li 12 ca 2. Herba Iberis, inquit, Cardamine etiam appellatur. Radicem cuius in Ischiade summe laudat. Equidem odorem & saporem ac figuram Cardami, hoc est, Nasturcij habet. Multa autem ubiq; nascitur, maxime tamen circa uetera monumenta murosq; & circa uias incultis locis. Folia autem habet Nasturcij uerè quidem uirentia & Nasturcio multo maiora, longitudo uerò caulis parui est cubiti, nũc paulo amplior. Aestate florem lacteum promit, & tunc sanè efficacissima censetur, semen fert quàm minimum, atq; id ipsum per totum caulem enascitur. Radix uerò accerrimum habet odorem, & maxime omnium Nasturcio similem. Hanc æstate maxime effodito (arida enim uires amittit) & diligenter tundito: tunditur autem difficulter, & axungia ueteri excipito modico, ac iuncturæ coxæ & uniuerso cruri, imponito, adaligato ac incumbere sinito,

mulieribus quidem non infra duas horas, uiris autem per quatuor horarum spatium si fieri possit ut id perferant. Excitat tumores cum ardore & rubore, ueluti sinapismus facere solet: post uerò in balneum inducito nullo unguento aut sinegmate eis illico ubi modicum exudauerint, in solium ob feruorem mordacius desidere iubeto, idq; fortiter perferre cogito: morsum enim cum ardore in principio inferre consueuit: deinde educito. Ferme enim semper quamuis ab alijs fuerint importati, sua sponte pedibus ingredientes, exibunt. Atq; hoc Aëtius longius prosecutus est, quàm institutum nostrum fortaßis exigat. Idem tamen li. 3 ca 94 quicquid id est oppido quàm liquido expreßit. Videtur eius breuibus etiam meminisse Dioscorides. li 2 ca 117. de Sisymbrio. Hermolaus ex Antigone Nasturcium syluestre appellat. Sunt qui hanc esse dicant officinarum Vincetoxicum.

Hierichuntis Rosam quære in Amonio.

Hieracium herbam Lactucæ speciem facit Hieronymus Tragus: Cicerbitã uerò & Sonchon nostram Lactucam constituit crispam & hortulanam, quam in Veris initio usq; ad æstatem cum reliquis lactucellis apud nostrates ex sale estur et aceto.

Hippacem *Plinius lib. 11. cap. 53. ex eorũ numero recenset quæ sitim & famẽ arcent, quum inquit:* Quædam *exiguo gustu famem ac sitim sedant, conseruantq́; uires, ut butyrum, hippace &* Glycyrrhizon. *Et lib. 28. cap. 9. docet, quid sit* Hippace, *ubi de Caseis rei medicæ inseruientibus ex professo disserit, dicens:* De *generibus caseorum diximus, quum de uberibus singulisq́; animalium membris doceremus. Sextius eosdem effectus equino quos bubulo tradit,* Hoc *uocat* Hippacem. *Hæc adnotatione digna uisa sunt, ne quis hippacem herbam esse credat. Sunt enim qui Scythicen, Spartanian,* Hippacem, & *Latacen herbas esse dicant quanquàm incomparabiles & fabulosas, quarum aliquam si habere contingat, cuipiam omnium rerum copia iugiter eundem affluere posse, & nec famescere nec sitire unquàm.*

Hippophaës & Hippophæston *quære in Labro Veneris.*

Hipposelinon *est olus atrũ, et ut Gaza transtulit* Equappium *: non autem appellatur hoc nomine quod equis conferat, sed à magnitudine ita dictum est.* Nam *in hortis & riguis adeò crescit, ut arborescere uideatur. Ferrarienses appium Macedonicum uocant, neq; est angelica, quod quidam*

opinantur

opinantur, Quia radicem habet olusatrum extra nigram intus albam, sed angelica albam habet tantum. A. Musa Brasauolus.

Hicrobotanen quære in Verbena.

Hippuris est equina cauda seu equisetum, de quibus supra.

Hirundinariam herbam quære in Chelidonia.

Hordylon uide Gorgylon.

Hyacinthi flos non est nominibus inscriptus, ut Virgilius & Ouidius canunt: nam alia est eius historia apud Dioscor. est enim Latinis Vaccinium quod nigrum esse constat. Cordus. In Onomastico autem suo Brunfels. Hyacinthum decernit esse Dioscoridis Delphinion.

Hydropiper Dioscorid. ut Cordus coniectat & consentit Brasauolus, est fortaßis eadem quæ Persicaria mordax, & non habet lituras rubras, à Plinio Piperitis & Siliquastrum dicta. Hydropiper autem & Piper caninum eundē esse herbam nonnulli existimant, licet Auicenna separet. Hoc nuper in officinis ex ignorantia ueri Eupatorij pro Eupatorio sunt usi, & appellauerunt Herbam Cunegundis, similē ferè Persicariæ, nisi quod caret rubris maculis.

Hyoscyamũ *quære in Apollinari herba.*

Hypericon *quære in Ascyro & iterum in Chamepyti. De uulgato autem hyperico, quam à pertusis foliolis perforatam uocant, uarij uariè opinantur. Quam utcunq; negligere uideantur, constat, tamen herbam esse saluberrimam et plane Pæoniam, cuius nusquàm non sit utendi locus, tam præclara sunt diuini medicaminis simplicis dona. In quales herbas ægre possum incandescere, quin potius antiquum ius & debitam laudem occupare sino, quàm qui auent cognoscere nominis eius meminisse iubeo, quo* Hypericon *Græce quasi per excellentiam supra remedium appellatur. Animum interea à curis auocans, & in sublimem aliquem recessum subducens, à strepitu tranquillum & quietum, oleum* Hyperici *mecum expendat aliquis, cuius hæc una est: nam uariæ paßim reperiuntur, confectura. Sume cacumina* Hyperici *ad quantitatem trium unciarum, & in uinum odoratum infundantur, trium dierum & noctium curriculo, mox duplici uase optime obdurato buliat, deniq; exprimantur, & abijciantur cacumina, in eodemq; uino eandẽ quantitatem cacuminũ* Hyperici *infundito totidem diebus & noctibus: postea adde* Terebinthinæ *uncias tres, olei ueteris uncias sex,*

Oleum Hyperici polythreston.

croci scrupulum unum. Misceantur hæc & in duplici uase coquantur, quo ad uinum euanescat, postea in uitriato uase, uitreóue seruato. Admirandæ facultatis est hoc oleum, ubi fortè ad cacoëthes accommodatur, & ad immedicabilia aliâs ulcera, his enim fert opem non irritam, particulas illas quæ atrophia laborãt, aut alioqui frigida intemperie sunt correpta pulchre adiuuat, illisq; sæpe malis succurrit, quæ chirurgi deserta reliquerunt, in quibus curandis omnem luserunt operam, quanquàm ad illa sua peculiaria medicamina, quasi ad Thriarios peruentum esset, cõfugissent frustrati. Nouimus enim qui calcaneum læsum hoc tandem oleo curauerit. Erat autem à bombardæ ictu læsio inflixa in congressu bellico ubi signa classicum cecinissent. Ad quod malum persanandum quum nullis impensis parceretur, & optimi & maximi quiq; medici ualentissima auxilia attulissent, duobus tamen perpetuis annis fermè nihil effectum est aliud, quàm ut nonnunquàm curatione mendosa tectorium superinduceretur, atq; ita amota subinde eschara, & detracta ephelcide malum recrudesceret. Empiricus uerò postremus superueniens illito uno Hyperici uocati oleo, optatam & perennẽ rite attulit medicationẽ. Eodẽ oleo facillime sunt integri sanati,

quorum ignis & trabes ardentes inter extinguenda incendia manus misere oblæserant. Quo equidem tempore ante uidelicet annos binos, incendiarij nihili homines, ecquis ambigit ab hostibus immissi? multis locis Germaniam Superiorem nequiter & furtim tectis suppositis scintillis ignitis aut sulphuratis tædis, incendijs deuastarunt & depopulati sunt ustulationibus. Ibi noui qui longe plurimos qui flagrantibus ædium tignis misere accepti erant, Hyperici oleo & celeriter & faustiter, ut pharmaco ualde commode adhibito curauit.

Hypocisthulem Scribonius scribit esse succum Rosæ Syluaticæ, quæ uocetur Rosa Canina.

Hyssopum Dioscorides in loco proprio non depingit libro uidelicet 3 ca 27. sed lib 4 ca. 53 ubi Chrysocomen describit, quam inquit habere comantes corymbos figura hyssopi, licet in nostro hyssopo corymbos fortaßis non inueniamus Quum uerò Origanum Heracleoticam pingit, dicit folia habere hyssopi, umbellam autem non in modum rotæ, ac si Hysopus habeat umbellam in modum rotæ Ant. Brasauolus animaduertit Hermolaum aptius transtulisse hunc locum, qui non facit comparationem ad hyssopum, sicut Virg. Marcellus, sed

simpliciter

ſimpliciter dicens, ut uerba Græca innuunt: non modo rotæ umbellam habens. Cõflictatio igitur inſulſorum & naſutiſsimorum hominum locum fortaſsis non habebit, ſi ſcripta omnia recte, librauerint & didicerint uulgatam etiam Hyſſopum ordinem ſuum tueri, nec poſſe eam ita penitus tolli è medio. Ad quæ nos quoq; præter cætera addimus admirandas crediti hyſſopi facultates & in Apoplexia & in Epilepſia, atq; in harum ægritudinum medijs paroxyſmis, qui uelit ad experientiam hoc remedij, in illis qui ſunt uitrea ualetudine hominibus, reuocet, & haud quanquàm fruſtrabitur ſuo uoto.

I

IBeridem herbam quære in Hiberide.

Inguinalem herbam quære in Bubonio.

Impiam herbam, quære Antipater.

Intybum quære in Seride.

Inula potius dicendum eſt quàm Enula. Helenum enim à Græcis & Dioſcoride appellatur: quoniam ex Helene lachrymis in Helena inſula genita ſit, ut teſtatur Homerus, de qua plura in Helenio expoſuimus.

Ion, quære Viola.

Iouis *glandem quære in Castanea.*

Ioannis *herba habetur in Ascyro.*

Iridem *syluestrem uide in Xyride.*

Iris *Illyrica cæteris semper præfertur, quæ mediterranea quidem est, & quæ maxime septentrioni exposita est. Atq; Iris Illyrica non est una species Iridis ab alijs distincta, sed ob perfectionem regionis in qua nascitur integrioribus uiribus, & quia ibi copiosissime uiret & passim reperitur, nomen hoc Illyrica Iris sortita est. Iris uero à multis coloribus nuncupatur, qui uel in tota specie, uel in uno flore sunt. Antonius Musa Brasauolus scientiæ herbariæ atq; adeò uniuersæ medicinæ uindicandæ natus, in Illyriam profectus Irim plures colores habentē quæsiuit, & deprœhendit quidē uarios, sed in diuersis indiuiduis, in quibusdā candidos, in alijs pallidos, in alijs luteos, in diuersis purpureos: ut plurimū uerò ceruleos. Eratq; unus et idē flos uarijs coloribus insignitus, ut inde arbitrari possis Irim dici non ob diuersitatem colorum in specie sed indiuiduo. Neq; est illa colorum diuersitas in summitate floris, sed in infima parte. Libyca Iris radicem habet candidum, Illyrica rufam. Illyricæ sunt duæ species. Rhaphanitis ob similitudinem dicta, quam cum rhaphanite habet, & melior*

& melior est, & Rhizotomos quæ subruffa uisiatur, & minus bona est.

Iringum quære in Eringio.

Isatis Guadum & Germanis, waid appellatur apud Dioscor li 2 ca 177. Leonardus Fuchsius li 1 ca 26 Paradoxorum copiose de Isatide disserit, & docet Serapionem, Auicennam & Pandectarium Syluaticum ignorasse Isatis quid sit quā describunt sub nomine Nil siue Nilech, siue Indicum.

Iuam Io. Manardus li 7 existimat ueram esse Chamepytin Dioscoridis & Aiugam à Romanis esse appellatam. Consentiunt Cordus, & Musa

Iuiubæ sunt fructus quos Græci Serica & Latini Zizipha appellant. Galenus li 2 de Alimen. agit de his quod imbecilliter nutriant & difficulter concoquantur scribens, & quod exiguum offerant corpori nutrimentum. Plinius Valerianus li. 4 ca 46 de re medica, subscribit, similiter & Leonardus Fuchsius li 1 ca 27 Paradoxorum Medicorum. Musa Brasauolus Zizipha inquit, baccæ potius uidentur quàm poma, licet autores inter poma numerent Dioscorides huius arboris non meminit Galenus: tamen Aëtius, Paulus, & Plinius eam cognouere. Duo eius sunt genera,

candidum & rufum quod à colore Sericũ dicitur, quod tantum habemus, candido caremus. E Syria in Italiam *Augusti tempore delata est.* Hodie nullam *medici pro thorace decoctionem parant quin ziziphα addant, quibus tamen uti tantum conuenit quum materia incrassanda est, non attenuanda. Nascuntur Ferrariæ copiose, sed serotini sunt. Pellem maxime inherentem habent, ut si quis zizipha comederit, à pallato auellere nõ poßit.* Eius *semen lapides frangere dicitur, & è renibus cito expellere.* Recentes *autem & bene maturæ iuiubæ laudantur ab eodem autore in libro de Syrupis, quum rugosæ fiunt & dulciores.* Acquirunt *autem & perfectam maturitatem ab arbore remotæ, quia humiditas quædam crassa resoluitur, & rugosæ ac dulciores fiunt, dulcedine quadam emolliente.* Propterea *& si à* Galeno *& antiquioribus reprobentur, tamen ad incrassandam materiam probe ualent & maxime prosunt.* Emolliens *enim illa dulcedo pectoribus conuenit.* Neq; *dubitandum quin tußi ex materia calida factæ, & his pectorum intemperiebus ualeant, ubi materiam craßiusculam reddere opus sit.*

Iuncum *odoratum rotundum quære in Schœno.*

Iuncum

Iuncum *odoratum quadratum quære in Cypero.*

Iuniperus *apud Dioscoridem Aceuthos, duas habet species Est enim maior & minor, & loci siccitas in causa est cur grana Iuniperorum apud nos fiant minora, neq; necessarium est nostra Iunipera mensuram à Dioscor. lib. 1. descriptam habere sub magnitudine uidelicet aut nucis ponticæ aut fabæ, nec oportet hæc nostratia Iunipera uera non esse confiteri, id quod nonnulli uidentur faciendum esse. Effectus probant esse utilissimum ad innumera auxilia præstanda fruticem cum fructu, ligno, ramusculis & radicibus, & non flocci faciendum.*

K

KErmes *require infra libro secundo de recentibus Medicaminibus in dictione Chermes.*

Kerua *seu Cherua in Catapucia maiore explicata est.*

L

LAbrum *Veneris Dipsacum Dioscorides lib. 3 cap. 11. Virga pastoris hodie dicitur, & putatur à quibusdam esse Carduus fullonum, sed est huic congener quo fullones utuntur ignotius*

tur, ignotus Dioscoridi, *nusquã enim ei talem usum præbet, sed eum alijs duabus herbis tribuit* Hippophai *&* Hippophæsto.

Ladanon *Galenus lib. 1. cap. 2. de Compositione Medicaminibus,* κατὰ τόπους *à quibusdam medicis* Ἀποτραγοπώγωνα, *id est, barbæ hircinæ sordes appellatum fuisse testatur. Etenim generatio ipsius ex hircorum barbis in quibusdam regionibus accidit, id quod etiam* Rufus Ephesius *hisce uersibus innuit.*

ἄλλο δέ που κατὰ γαῖαν Ἐρέμβων λήδανον εὕροις
αἰγῶν ἀμφὶ γένεια, τὸ γὰρ καταθύμιον αἶξι,
κισσοῦ ἀνθήεντος ἐπέδμεναι ἄκρα πέτηλα.
τοῦ δ' ἀπὸ λαχνήεντος ἀνεπλήσθησαν ἀλοιφῆς
αἶγες ὑπαὶ λασίῃσι γενείασι πλευρά τε πάντα.
οὐ μὲν δὴ νούσοις τόδε κάλλιον, ἀλλ' ἄρα πνοιῇ.
ἔξοχον, οὕνεκα πολλὰ μεμιγμένα φάρμακα ἔχουσιν
ἀμβρόσι', οἷά τε γαῖα φύει πεδίοισιν Ἐρεμφῶν.

Carmina

Carmina carminibus reddidit Ioan. Gunterius Andernacus ad hunc modum.

Est Aliud Ladanum, tellus quod mittit Erembum,
Hircorum barbis hærens, nam germina Cisthi
Grata cibo memorant florentes summa capellis.
Huius uilloso complentur fœmina pingui
Tota caprũ, nec non barbæ magis omnibus hirtæ.
Vtilius non hoc morbis, sed præstat odore.
Propterea mista hinc medicamina multa reseruãt
Ambrosia, & regio producit qualia Erembum.

Lagopus *Diosco lib. 4. cap. 19. leporis cuminum & pes leporis Germanis quoq; dicitur, quanquàm dissentiunt eruditi huius seculi, sicut in ante dictis annotauimus, alij Garyophyllatam, alij Dentem leonis existimant esse Lagopada Diosco.*

Lapathus *Latinis Rumex dicitur: nos quantum obseruare datum est putamus Oxacantham spinam esse acutissimam, quæ Berberis uocatur: Oxylapathon autem acetosam uulgo dictam: Oxalidem Lapathũ acutum: Oxytriphyllon quod plerisq; Alleluiah uel acetosellam nuncupant, & tandem oxyphyllon Geranium inscriptum. Sunt qui existimant acetosam uocatam uelut esse Oxalidem. Nonnulli lapathum acutum, id est, oxolidem opinantur esse nostram Spinachiam: quia Lapa-*

thon

thon ueteribus in cibo fuisse traditū est, uulgatum autem lapathum acutum, utputa ineptum nemo fortaßis esitauerit. Manardū tamen noueris Oxylapathon acetosam illam nostratam esse adserere lib. 7. Epistola 3. similiter & Brasauolum in examine herbario.

Laseris quoddam genus ὀπὸς συριακὸς à Diosco. Galeno & Plinio uocatur, licet principatum obtineat, qui Cyrenaicus dicitur atq; in Aphrica quondam affatim succreuit & carißimo precio distractus est. Medicus autem & Syriacus abiectiores, & grauioris odoris existunt ut lib. 3. Dioscos. criptum reliquit. Vnde quidam eliciunt Asam fœtidam tabernarum hos succos dici posse ex Silphio collectos, quod nostri nominant Laserpitium. Asam autem Arabibus corrupte sicut ferè omnia dictum esse credi potest pro Lasere. Virosum habet odorem & putrilaginem resipit: ex Syria Alexandriam & Alexandria Venetias fertur. Obscurum uerò colorem habet, quoniam adulteratur addito Sagapeno priusquàm arescat, & simul etiam terra: nam Sagapeni odor naribus sentitur, si animaduertas. Cyrenaicum autem summe laudatur, ideò simpliciter Opos aut simpliciter Cyrenaicus dicitur, nec potest esse illa fœtida Asa,

quam

quam ob fœtorem Diabolicum ſtercus Germani appellant. Quoniam Plinius lib.26.cap.23. Sylphium ſiue Laſerpicium in medicina & coquina ualere tradit, aſa uerò noſtra alieniſsima à dapibus quas in uniuerſum corrumperet, exiſtit. Idem lib. 19.cap.3. Laſerpicium inter ea quæ comeduntur enumerat, & in magno precio fuiſſe declarat. Aſa autem uulgata nec comeditur nec magno eſt præcio. Dioſco. quoq; radicem eius commendat ad intinctus & iuſculenta, idem facit Theophraſ. lib.6. de Plant.hiſt. Non diſplicet hoc loci hominis diligentis Antonij Braſouoli ſuper uerò Sylphio iudicium, quum in examine herbaceo inquit, Benzui: à nobis uocatum, antiquorum laſerpitium eſſe uidetur: nam commendatur inter cabaria, & credendum eſt arboris radicem ex qua colligitur, odoratas dapes reddere poſſe, unde animus inclinat laſerpitium lachrymam illam eſſe, à nobis beltzuinum appellatum. Luſitani enim mercatores, arborem ex quo Belzuinum colligunt deſcribentes, Laſerpitium Dioſcoridis aut Sylphium exquiſite deſcribunt, atq; ijdem Belzuinum laſerpitium appellant. Serapio etiam inter Arabes Laſerpitium ſub nomine Aniuden, id eſt, Aſæ tradens ea tantum dicit quæ à Dioſcoride & Galeno de ipſa ſcripta relinquuntur.

Belzui.
Benzui.

Lappa

Lappa apud Dioscoridem Aparine duplex maior & minor. Vide Aparinen.

Labeonem quære in Galiopsi.

Lamiam require in Galiopsi.

Lathyris absoluta est in Catapucia minori.

Lauandulam uide in Rorismarino, & iterum in Saliunca.

Lauer habetur in Sio.

Laurus Alexandrina discussa est in Alexandrina lauro.

Laureolam quære in Daphnoide, & in Chamædaphne.

Lentiscum Dios. Schinon appellat.

Lenticula lens aquæ, apud Dioscoridem lens palustris aut uiperalis. Græce Phacos ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων.

Leontopodium describit Dioscorides lib. 4. cap. 126. Hermo. Barb. in hæc uerba meminit, In uetustißimo dicens, Dioscoride appictam uidimus, simillimam herbam quam uulgus ex consuetudine Calendulam appellat. Licet Brunfelsius, Calendulam esse iudicet eam quæ Scorpioides à Dioscoride lib. 4. cap. ultimo. Hieronymus. Brunsuicensis Leontopodium uel pedem leonis herbam esse aserit quam Germani, Sinau uel vnser frawen

mantel

mantel appellant, nõ tamen respondet descriptioni Diosco. Vide plura in Garyophyllata.

Lepidio & Seitaragi apud Serapionem, in gustu & uiribus tanta est cum Nasturtio affinitas ut Cardami nomen tertium apud antiquos meruisse putanda sit. Germani Grammatici & Medici Nasturtium uocant. Manardus.

Leucoion uide in Cheiri.

Leucanthemon quære in Chamæmalo.

Leuisticus uulgatus fortaßis est secunda species Dauci. Manardus. Quidam tamen contendunt idem esse cum Ligustico.

Lichen Dios. lib. 4. cap. 51. est Iecoraria siue Hepatica uulgaris saxis familiaris, aliquibus Bryon appellata, asperiginosis petris adherens, sic dicta: quoniam contra Lichenas remedijs omnibus anteponitur, unde Itali ficatellam nominant, similis iocinoris fibris aspicitur, nascitur intra puteos & humentes lapides, terræ inhærens, foramina paßim habens, ueluti oculi emißitij eßent Licheni, id est, impetigini succurrit. Serapio Ictericis prodesse tradit, & quoniam regius morbus plerunq; ab hepate fieri solet A. Musa arbitratur hinc primum esse ortum, ut diceretur Hepatica.

Neq;

Neq; ualet ad omnes morbos hepatis ſicut Syluaticus erronee putauit. Humida autem eſt & frigida, & hepar plerunq; caliditate peccat.

Libanotis Dioſcoridis à Latnis Roſmarinus uocatur, à libano, hoc eſt thure nomen habens, quia una eius ſpecies thus redoleat. Ex floribus libanotidis zucharum paratur, roborando uentriculo commodum & odoratum. Simon Genuenſis huius florem peculiariter Anthos flores appellat, non tamen ſequitur eruditorum quenquàm. Plinius Muſa Braſauolus & Ruellius concordant, quanquàm diſsidet Cordus.

Lichnitis eſt Verbaſci ſpecies quæ & Thryallis Græce uocatur & Germanis, Roſa Mariæ.

Liguſtrum non eſt conuoluulus ſed eſt potius frutex qui Græcis Cypros dicitur & Germanis beinhöltzlin, mundholtz & hartrigel. Non ſequimur Leonicenũ, qui Cypron ſimilem Liguſtro fruticem adſerit.

Linguam auis uide libro ſecundo de Recentiorum Medicinis in Lingua auis.

Lilij conuallij planta ex quo flos ille prodit, folio fermè conſtat Arnogloſſi, minus tamen ſtriato, & plures quidem fibras, ſed nõ adeò manifeſtas oſten

festus ostendente, cauliculis tenuibus eidem etiam Arnoglosso similibus, flosculis plurimis, summo candore fulgentibus, & suauißimum odorem late fundentibus: radicibus laxis, longis & nodosis. Dissidet omnino ab Hemerocalle, neq; est conuolu lus aut flos conuolouli sicut quidam putarunt. Sed constat tantam esse affinitatem inter huius flosculi plantam & eam quam uulgo Fraxinellam nunc uocant, ut non facile sit unam absq; reliqua repente, tantam similitudinem maxime quum defloruerunt, ut uix una ab altera poßit internosci, nec certe, præterquàm ex radicibus, quæ craßiores & certioribus internodijs in fraxinella diuisæ sunt, discerni. Quò fit ut differre tantum sexu: eo uidelicet qui in plantis esse potest: mihi uideantur. Fraxinellamq; uocatam esse marē, & lilioli plantam fœminam nuncupandam. Fraxinellam igitur illam dico, quam Græci & Latini Polygonaton, Arabes Secacul uocant, ad idem genus Lilium Conuallium pertinebit, acceptoq; in manus Dioscoride, plantaq; ipsa, rem sic habere ut dixi facile iudicabis. Manardus lib. 9. Epistola 4. Et rursum lib. 11. Episto. 2. Secacul ab Arabibus uocatum, uulgo dicitur Genicula & Genichella: alij Sigillum S. Mariæ, alij quod folia eius similia fraxino sint

Fraxinella

Polygonaton.

Secacul.

Fraxinellam uocant. Ego *polygonaton uocatum* puto à Dioſcoride. Vide *plura in* Hemerocalle.

Limonium *de quo ſcribit* Gal. 7. Simp. *herba eſt nomen habens, ut inquit* Dioſcorides, *quia in pratis naſcitur & paluſtribus locis*. Nam λειμών, ῶνος, *pratum ſignificat, & floridum ſeu iucundum locum*, λειμώνιος *autem idem eſt quod* Pratenſis *latine*. Euricius Cordus *eam putat quam hodie* Pirolā Latini, Germani *uerò* waltmangolt *&* wyntergrün *uocant*. Aëtius *libro* 10. *cap*. 8. Cynogloſſam *hanc facit*. Vide Manardum, *lib*. 15. Epiſtol. 3.

Linodcram *quære in* Cuſcuta.

Linaria *eadem eſt* Vrinali, *quas tamen non nulli faciunt diuerſas herbas*. *Eſt inſuper ea ipſa quam* Dioſcorides *appellat* Oſyridem, *ſimiliter &* Plinius, *wild flachs & krotenflachs à* Germanis *dicitur*. Muſa Braſauolus *ſuſpenſo gradu incedit, quia non omnia reſpondent, ſuſpicari ſe magis dicit, quàm putare* Linariam Oſyrin *eſſe*.

Lini *genus apud* Pli. *unde inextinguibilis tela fit*. Cordus Amianthon *credit eſſe, lapidem unde huiuſmodi fila ducuntur*.

Lithoſpermon Dioſcorides *lib*. 3. *cap*. 149. *herba* Herculea *alioqui uocata, à noſtris* Milium *ſolis*

tium solis, magnæ utilitatis, & præcipuæ dotis, atq; ob id neutiquàm negligenda.

LOLIUM *ignotum à quibusdam existimatur nostratibus: nõ enim esse potest quod uulgus dorth & ratten appellat. Lolium Aera dictum à Diosc. li. 2. ca. 92 non est flosculus ille purpureus in segetibus nostris frequens & à Germanis Seplasiarijs Lolium appellatus. Quin potius plurimũ prouenit in Italia, adsimile omnino siligini nostræ minoribus tantũ spicis. Ingratissimum hoc est & perniciosissimum hominibus. Facit enim eos qui hoc uescuntur furiosos & cæcutientes, capitis grauedinem & uertiginem adducens, & præterea laborantes uehementissimo & intolerabili dolore capitis. Hinc etiam Aristoteles in lib. de Somno & Vigilijs Capitis grauedinem efficere tradit, opium, mandragoram, uinum & lolium. Quanquàm eius farina curare dicitur nomas, uetera ulcera, grangrenas, lichenes, lepras & strumas.*

LOTOS *fuit quandoq; Italiæ familiaris, nunc adeò rara ut ferè pro miraculo ab aduenis spectaretur, ea quæ propè templum diuo Antonio dicatum Patauij Hermolao Barbaro uiuente uidebatur. Vide plura apud Diosco. & Ioan. Manardum lib. 9. Episto. 3. Latine hæc arbor dicitur Celtes.*

Lunariam *fabam inuersam, id est, Solanum somnificum quidam appellant.*

Lycoctonon *Aconitum alterum quod lupi herbam Germani, hoc est, wolfs kraut appellant, uide ab initio præsentis libri.*

Lunaria *herba est quæ & Stella terræ dicitur. Brasauolus folliculum rotundum habere tradit in quo semina conduntur. Qui folliculus nocturno tempore aperitur, & adeò radios lunæ recipit, ut lucens stella uideatur. Loci incolæ ubi uident, diabolum esse putantes, aufugiunt, hac ueneficia parant, hac dæmones irritant, hac Chymistæ suum Mercurium fixum stabilemq; reddunt.*

Lupariam *quære in Aconito.*

Lupus uel lupulus *est species Volubilis, cuius ab herbolarijs adhuc duæ ponuntur species: Clematis & Helxine. Plinius lupum salictarium uidetur appellare, lib. 21. cap. 15. Quoniam supra salices & reliquas plantas repit. Vtimur eo cocto in Acetarijs oleo sale & aceto conditis ad sanguinis mundificationem. Græci ueteres lupulum hunc præterierunt, sed recentes Græci eius meminerunt. Hermolaus in Cypro & Græcia Bryon uocari scribit.*

Licium *fit ex Pyxacantha: id est, buxea spina:*

ſpina : tuſis cum frutice radicibus expreſſum, in Cappadociæ & Lyciæ aſperis & dumoſis locis, Dioſ. lib. 1. cap. 117.

Lychnitis *habetur in Tapſo Barbato.*

Lychnis *agreſtis* Tragonaton *etiam à* Dioſco. *uocata à Plinio* Anthirrhinos *lini ſimilis herba radice ferè carens, flore Hyacinthi, ex quo ſemen uitulinæ naris ſimile deprehenditur. Brunfeiſius interpretatur,* Kornblumen. *Vide* Antirrhion.

Lyſimachion *& lyſimachiam qui hodie Mediciam herbariam tractant, herbam tinctorum alij Citrinam, alij Lutheam & Corniolam appellant. Scribonius tradit eiuſdem hanc eſſe generis cum Polygono. Leonicenus uerum lyſimachion quam infectores Corneolam uocant, ad aras uſq; contendit: à quo tamen lib. 12. Epiſto. 6. diſſentit Manardus. Cuius uerba breuitati conſulentes omittenda eſſe cenſuimus.*

M

MAioranam *cõſtat eſſe Samſychon ex Pl. quæ cognominatur etiã Amaracus quo nomine Matricaria tamẽ priuatim dicitur à Gale.*

Macim & macerem *diuerſos cortices quære libro 2. de Recentibus.*

Malabathrum *quære in folio.*

Maliſcorium *eſt mali punici cortex, qui cortices etiam* σιδιαρόιῶν *uel* λέμματα ῥοιῶν *appellantur. Cytini autem ut Celſus lib. 5. docet, ſunt capitula mali punici, id eſt, primus huius mali partus florere incipientis, et ſunt planè flores ipſi: ſicut & Dio li. 1 atteſtatur, ubi Cytinos flores ipſius mali punici appellauit, dicens:* τὰ δὲ ἄνθη αὐτῆς ἃ καὶ κύτινοι καλοῦνται.

Maluam *horulanam Cordus rarò nobis ſuccreſcere tradit, proinde & rara uiſu & propè ignota eſt pleriſq;. Appellatur autem Malua Romana Quam Dioſco. Malachen uocat: & quam Io. Manardus Venetijs in horto Cornariorum arboreſcere ſcriptum reliquit.*

Malua *uiſcus latine Hibiſcus, à Græcis Althea dicta, ſpecies eſt Maluæ, quam pingit Dioſ. li. 3 cap. 154. Germani Ibiſch & quidā wyld papelē quaſi ſylueſtrē Maluam nuncupāt. Vide Altheam.*

Malum terræ *non eſt Cyclaminos, ſed Ariſtolochia. Vnde cōſtat erraſſe Theo. Gazā in tranſlatione Theophraſti, dum Cyclaminū reddit Malum terræ. Qui tamē interpres apud eruditos magni nominis et præclaræ laudis exiſtit, eò quod Græci et Latini ſermonis longe peritiſsimus in redendis*

Theodo. Gaza.

ßendis difficilimis autoribus multũ adiumenti nostris hominibus attulit. Hoc uerò etiamnũ indolendum uenit, quod uir tam eruditus, ad hæc & Christianum sacerdotem agens ut est eruditionis rectæ ferè ubiq; gentium despectus maximus, uitæ necessaria desiderarit. In eo autem loco Romæ uidelicet, qui toti orbi celebris & memorabilis semper est habitus. A quo bonum Gazam diuerti oportebat, ad Vlubras opinor alioquò, ubi & animam egit, atq; in summa rerum omnium inopia discessit ad superos. Ad aristolochiam reuertor, cuius contritæ in puluerem uel drachmam uel paulo minus non inexpertus artis operũ Sigismundus Grimmanus medicus Augustanus cũ prospero successu semper, in ouo sorbili aut etiam aliter porrexit ijs, quibus os uentriculi dolebat, aut quoquo modo erat affectum. Sed quoniam eruditorum uirorum infortunia deplorare semel cœpimus, non iniquũ fuerit fortaßis querulari super acerbitate fati quod hunc uirum manebat. Quamuis enim ex quæstu medico sibi & suis quantum satis erat cõsulere potuisset, nescio tamen quæ Pallas isti in mentem miserat, ut Chalcographis sumptus suppeteret, qui optimos quosq; cantus & symphonias musicas, rem arduã & antea inauditam prælis impreßorijs excudebãt

Quo in negotio prosperato lucro, tanto conflato alieno ære obæratus est, ut in uoluntarium exilium discedere non dubitârit, ubi breui & morbo & tristicia animi excessit è uiuis, per fortunæ ludibria plus satis confectus, extenuatus, atq; deiectus.

Mandragoram Diosco. lib. 4. cap. 74. Circeam appellatam à quibusdam autor est: quoniam Circe fingitur radice eius ad amatoria ueneficia fuisse usa. Seruatur in usum medicũ succus ex cortice uirentis radicis insolatus, & concretus: seruatur & cortex radicis. Similiter radices in uino ad tertias coquuntur, & pro grauissimis doloribus et membris secandis reponitur. Folia item suas uices tuentur, & sale adseruantur. Docet Brasouolus etiam uinum ex cortice radicum fieri. Si uini dulcis cadum acceperis, & corticis pondo tria conieceris, pro his qui secari & uri debent. Diosco. capite de diuersis uinis lib. 5. aliud uinum Mandragorite commentus est. Radix hæc neq; homunculo similis est, neq; clamat ubi effoditur, neq; caninæ caudæ adalligari inter effodiendum debet. Quod autem Columella in horto Mandragoram Semihominem uocat, ideò factum est, quia eius radix in duas fibras ueluti in duo crura diuiditur.

Marrubium est apud Diosco. Prasium

lib. 3. cap.

li 3 ca 110. Cuius Nicander in Antidotis aconiti me minit ab initio Alexiphar, Cordo interprete dicens.
Aut pulchrũ Abrotani caulẽ, et decerpta uirentis.
Germina Marrubi, quod iam dicunt Meliphillon.
Flores oliuæ & rutam & mixto ebide melle.
Est autem solum Marrubium album in usu apud Pharmacopolas. Marrubium tamen nigrum Theophrastus li 6 de Plant. historia in remedica plurimum ualere scribit, quam Musa dicit esse Balloten apud Diosco. li 3 ca. 108. De qua uide superius Balloten. Consentiunt enim pleriq; hanc esse urticã mortuam. Prason itẽ Græci Porrũ appellãt. Quod interpretes indiligentes sæpe cũ Prasio cõfundunt.

Mastichen quære in Schino.

Matersyluia est Periclymenon Græcorum, & Latinorum Caprifolium. Dicitur etiam Inuolucrum maius. Ita Brunfelsius & Musa prodiderunt. Cordus non sine graui errore Alsinen Caprifolium appellari tradit. Quum tamen Periclymenon, quod idem Caprifolio est, etiam alsine, sed maior & Matersyluia uocetur. Germani hanc uocant, waltmeister & waldtmendlin. Pandectarius quanquàm nõ recte Asplenon hanc facit, inter alia tamen rite subindicat eã à fructu, Cuius fructus est, dicens magnitudinis Cubebarum, ab initio uiridis,

cum maturuit coloris citrini ad rubedinē inclinantis, & inclusus intra duo folia simul iuncta. Semē in umbra siccatū & cum uino exhaustū diebus 40. lienem siccare & minuere docet. Diosc lib. 4 cap. 25 facereq; ad celeritatē partus, & 36 dieb. eadem pota uiros reddere steriles. Eadē fermè tradit Gal.

Matricariam quære in Parthenio.

Melilotos uera ignoratur apud nostrates medicos, quia ueræ Meliloto comparat Diosc folia Ligustici. Scire autem fortaßis refert, hanc appellatam esse Crispam Campanicam & Coronariam & Sertulam apud C. Celsum. Idem fermè adserit Brunfel. Siquidē uerū Melilothon potius in Aphrica uel Chalcedonia atq; Cyzico nascatur. Cæterum non damnandū esse puto nostrate meliloton, quod experientia constat nō esse inodorū, sicut aliqui uolunt, præsertim quū exiccatū fuerit: item et mollire inflammationes, oculorū, muliebriū locorū, sedis et testiū in passo decoctā, et emplastri modo impositā. Lenire et stomachi dolores in uino elixā crudāmue, addito oui uitello. fœnugræci farina, aut lini semine.

Melissophyllon quære in Citragine.

Menta nostras quæ sit, ita ostendit Brunfel. ex Diosc. ut Menta quidem sit Calaminte: mentastrū, syluestris Menta, hirsutiore folio, & prorsus

maiore

maiore quàm Sisimbrij, grauiori odore. Mentam autem non esse frigidam, nec absumere humanam genituram, ut Aristoteles sensit, merito notant in tanto autore Cordus & Musa Brasauolus. Problemate ultimo Sectionis 14. & Erasmus in prouerbio Mentam belli tempore non edito.

Meconium quære in Opio.

Medicum malum quære in Citro.

Memitham quære in Glaucio.

Melanthion Diosc. lib. 3. cap. 84. est Xamin Serap. & Nigella in segetibus nascens à uulgo Italorũ Githone appellatũ et à Germanis Rattẽ, ut scribit in examine herbario Brasauolus. Cordus aũt in eam sententiã concedit, ut pulchre odoram aliam herbã quàm hodie pro nigella habẽt medici, amplectatur, qua & Patauini et Veneti medici utuntur, similiter et à uulgo persuasum, qui cõtra distillationes semẽ hoc lintheolo inclusum efficit. Hanc enim facultatẽ ei omnes medici tribuũt, quod humidũ cerebrũ exiccet, Germani Römisch Coriander uocãt.

Mercurialis Linozostis apud Diosc. non est ea quam Germani Bonũ Henricũ uocant, quum illa sit Vaccaria radix ab iisdem appellata, quam Kwewurtz et Mistwilden, id est, fimetariam Atriplicem nominant. Fatetur idem Brunfel. Tomo 3. in Palinodijs.

Mes granum est oculum habens secundum Seraplonem

Serapionem cap. 116. cum pupilla nigriore, cuius herbam esse ait Phaseli Manardus autem lib. 1. Epist. 3. Mes Arabũ pisum esse probat Græcorũ.

Tricoccus

Epimelis

Mespilus est arbor aculeta, autore Diosc. buxeæ spinæ folijs, fructũ ferens in quo tria grana inueniuntur, unde Tricoccus appellatur. Habet tamen in plerisq; locis idem fructus quinq; lapides, quod est fortaßis secundum genus Mespili Epimelis, & apud Hippocrat. & Galen. Amemelides nuncupatum. Licet autem fructus astringat, seminum tamen puluis lapillos uehementer ex renibus eijcit, urinam cit, & uesicæ lapidem minuit. Brasauolus solo huius pulueris auxilio magnam uim lapidum è renibus cuiusdam calculosi expulit. In altero autem adeò renum lapides comminuit, ut in puluerem redacti sine dolore exirent. De Epimelide tamen abunde diximus in Epimelide.

Mezereon habetur in Chamælæa.

Milium solis quære Lithospermon.

Millefolium, quære Stratiotes.

Liber Secretorum Galeni.

Myrobalanus apud Dioscor alia est ab hodie uocatis Myrobalanis. Quod est argumento doctis uiris, quod liber Secretorum & experimentorum Galeni sit nothus: quoniam in eo omnes Myrobalanorum species, Doronicum, Galanga, Nux

moschat

moſchata & ſimilia inueniuntur. Sed quem Dioſc. & Plin. & Theophraſtus Myrobalanum uocant, Arabes hunc Been appellant: eſt enim granum angulosum & magnum ut auellana, unde oleum exprimunt inodorum, ad omnes tamen odores ſuſcipiendos aptum. Ex Aethiopia, Aegypto, Arabia, & Iudæa Alexandriam & Venetias fertur. Ben album autem & Ben rubrum ſimplicie, radices ſunt, quarum illa in Bononienſibus & Veronenſibus montibus frequens reperitur; hæc uerò ex monte Gargano, qui mons S. Angeli nominatur, adfertur. Serapio uidetur Behem proferre cap. 223. Græci harum nunquàm meminerunt. Neq; quicquam etiam ſcripſerunt de Arabibus Myrobalanis. Licet hoc nomine Myrobalanus utantur. Sicut Dioſcor. ubi lib. 1. de Palma tractat, Myrobalanorum, & phenicomyrobalanorum meminit, qui palmæ fructus ſunt. Phœnicobalanus immaturus aſtringit magis, minus uerò maturus. Et Plinius lib. 12. cap. 22. Myrobalani & Phœnicobalani recordatur, eſſe fructum cuiuſdam palmæ in Aegypto quæ Adipſos uocatur, quaſi ſine ſiti: hanc Dioſcorides, Poma, id eſt, poculum uocauit, quod humore plurimo abundat. Vide non protrita apud Marſilium Ficinum lib. 2. cap. 9. de triplici uita.

Been. Ben. Poma.

Morſum

Morsum *Gallinæ uulgatum Diosco. uidetur appellare Anagallidem li 2 ca 170.*

Morsum *Diaboli Brunfel. facit Iaceam nigram, Tomo 2 Rhapsodia 13.*

Mora, *Seruius Commentator Virgilij adserit esse fraga, ubi poëta in Corydonis, et Damœtæ pugna Musica cecinit.*

Qui legitis flores & humi nascentia fraga.
Siquidem terrestria mora intelligit Seruius: certe deceptus est, At si intelligit uera fraga, quæ in Triphyllo nascuntur, ipse autem appellet mora in herbis nascentia ob similitudinem, quam fraga cum moris habent, Seruio adstipulamur. Nempe multa sunt quæ cum moris affinitatem habent, & ex substantia granulosa & acinosa composita sunt.

Mora alba *fiunt per insitionem supra populũ albam. Proinde quũ nouũ sit inuentum, nihil mirandũ est. si de illo antiquiores nõ meminerunt.*

Mora *rubi quære in Rubo.*

Muza *habetur in Dactylo.*

Myosotida *quære in Auricula muris.*

Myrica *est Tamarix, & corrupte hodie Tamariscus appellatur. Fiunt inquit Diosco li 1 ca 100 ex Tamaricis ligno calices à quibusdam, quibus lienosi in bibendo utuntur, utilissimo eis,* — Tamarix

ut credunt

ut credunt, in hac materia potu. Durat hic mos apud longe plurimos nostro seculo, qui se non mediocriter quidem suspicantur hoc auxilio adiuuari.

Myrrhida Diosco. li 4. ca 111. Ioan. Manardus li 18 Epistola 1. Cherefolium esse existimat. Sequitur is qui ad umbilicum tertiũ Tomum Othonis perduxit Quanquàm doctus uir Georg. Tanstetterus Collinutius Angelicam uulgatam hanc, esse credidit. Cherefolium.

Mirrha quam nos habemus, ea est quæ secundo loco à Diosco. scribitur & Caucalis uocatur. Ex India enim adfertur ex Farico insula. Altera uerò præstãtior et nobilior ex Arabia et Trogloditarũ regione aduehitur. Plinius li 12 ca 15.

Myrtus nigra per omnia efficacior est alba, quæ modo in terris, modo in aquis nascitur. In usu medicinæ sunt semina, folia, succus ex folijs et seminibus. Semẽ eius quod Aromatarij Myrtillũ hodie uocitant, Musa Bra. primus saccharo condire docuit, optimũ uarijs morbis condimentũ et ægris magnopere placens. Et parua Myrtus quæ Myrto adnascitur Myrtidanũ dicitur et Myrtida à Paulo Aegineta, quæ efficacior est tota planta: quo nomine etiam dicitur adnatum id quod circa corticem nascitur, sicut in thymo Epithymus. Myrtillus

Napi

N

NApi rapis congeneres sunt, quorum duo genera faciunt scriptores Bunion unum uocant, cuius decoctum purgationibus fœminarum uesicæ & urinæ utile est: Alterum genus Buniada uocant. Rhaphano & rapæ simile, cuius semẽ contra uenena præstans est. Inflat tamen elixa radix, & minus quàm rapa nutrit.

Nardum Celticam quære in Roremarino.

Nardus autem absolute appellatur, & Nardi spica, quæ in monte Indiæ nascitur, & tamen in Indicam & Syriacam ab autoribus diuiditur: Nã quæ crescit in ea parte montis, quæ uersus Indiam uergit Nardus Indica dicitur: in uergente uersus Syriam, Syriaca. Indica sub se continet Gangeticam quæ, propè flumen Gangem nascitur, Celtica uerò Nardus in Gallia & Liguriæ alpibus, & in Istria uiret. Adfertur et tertia Nardus ex Cilicia. Venetorum nauigationes Alexandriã Venetias hanc ferunt. Ex Cilicia enim facile Alexandriã adfertur. Radix efficacior esset si mercatores hac nos bearent: quanquàm nec spica contemnenda est, quæ in re medica & odoramentis est utilis. Et preciosum unguentum ex Spica olim fiebat cuius sæpe meminit Galenus, & nos in Commentarijs in libros Galeni de

leni de locis affectis illud indicauimus cum confe=ctura sua. Quo diua magdalena CHRISTI re=demptoris mundi pedes inunxit, ubi pro unguento Nardipistico, intelligibilius legere poteris, Vn=guentum Spicæ nardi, id est, ex Nardi spica, non Nardi Spicati, quemadmodum uisus est Laurentius Valla hunc locum emendare.

Nardipisticum. Vnguentum.

Nasturcium album quære in Thlaspi.

Nasturcij semen Cardamon à Græcis dici=tur non Cartamum. Nasturcium autem appellatur à naribus, quas torquere, & ringere facit quum manditur, dicta itaq; quasi torquens nares. Contra mala uenena huius est præcipuus usus. Siquidem & Nicander in Theriacis Antidotum ex Nasturcio & pipere simul contusis & mixtis contra morsus, & morsus insequentia pathemata efficacem compingere docuit.

Napellum quære in Aconito.

Nascatphthon Diosco. li 1 ca 22 se uidisse scribit Manardus, apud Thomã Lucensem aroma=tarium, corticem odoratum, cuius usus sit in suf=fimentis, Tignamẽ dictum corrupta, scilicet uoce à thymiamate, quã uerũ esse putat Nascaphthon. Me=minit huius Paulus in descriptione Ciphecs Niliaci, et Theophrasti. li 9. appellantq; alij Naocaphthon,

alij Narcaphthon ab Nartam Iccirco autem à nobis huc est appositum, ut sciretur, reperiri posse, si gnauiter inuestigetur, Vide tamen plura in libro 2 De recentibus.

Narcissus non est autumnalis ille flos, ut Otho putat, de quo in Colchico transegimus. Cordus Ferrariæ Narcissum sibi uidere contigisse scribit pedali altitudine surgentē cauliculū, quē liliacea, sed multo minora folia uestierint. Opertū adhuc folliculo seu inuolucro, neq; florē sibi uidere licuisse, quamuis ultima ferè æstatis parte. Otho perstat in sententia sua in Palinodijs. Sed tamen Narcissi nomē generale & cōmune pluribus adseuerans. Oportet tamen bonorum autorum obseruata lectione Narcissum longè alium florem inuentuq; rariorem esse, quàm is est quem Brunfel. in mediū adducit.

Nenufar officinarum est Diosco. Nymphæa.

Nepenthes absoluimus in Helenio.

Nepetam habuisti in Menta.

Nigellam quære in Dauco Cretico, & in Melanthio.

Nux moschata quibusdam uidetur esse Græcorum Chrysobalanus.

Nymphæam Dios. li 3 ca 139, esse constat Arabū Nenuphar uoce corrupte deflexa à Nymphea.

Oculum

O

OCulum Christi & oculum consu-lis require in Antipatro

Oënanthe est uitis syluestris flos: est autem ἄμπελος ἀγρία, id est uitis syluestris duplex: significat enim & herbam quandam, quæ uitis non est, sed ob fructum racemosum uitis appellatur, quum tamen folia uitis non habeat sed hortensi Solano similia. Secundo Vitis agrestis significat Labruscam, quæ figura non differt à Domestica uite, non tamen colitur, & uites habet frigidas & adstringentes. Appellantur autem Labruscæ flores Oëanthe, ex qua fit oleum ac unguentum. Quanquàm est insuper herba quædam qui Oënanthe dicitur. Quam Brunfelsius Filipendulam uocatam aut aliam huic admodum similem arbitratur esse, sed non respondet omnino descriptioni, Apud Diosco. li 3. c. 126.

Olus atrum quære in Hipposelino, & rursus in Smyrino.

Ononis, à uulgo medicorum Acutella. Resta bouis, & Remora aratri à Cordo, & à Germanis equitibus à ui urinaria, Stallkraut dicitur Potandum enim eius decoctum meiere nequeuntibus equis offerunt. Laudatur contra

calculum, in cuius doloribus nostris hominibus est expertissima, & quæ à cruciatu calculi liberet celerrime.

Opopanacem *nostri ignorant sit ne Angelica uel Astrancia. Descriptio certe conuenit nostræ Angelicæ.*

Opium & Meconium *ita differunt, quod Meconium fiat, si folia & calices terantur, exprimanturq; & succus in pastillos redigatur, & est ignauius* Opio. Opium *enim ex nigro papauere in hunc modum colligitur. Quum mane rores exaruerint summa cutis cultello inciditur, ut lachryma exeat, quæ in uas deriuanda est, & cortex ita incidendus, ut non penetret intus cultellus, & ita altera die faciendũ, & hoc est opium quod emanat, & lac.* Nam *Meconium fit per expressionem, ideò & succus appellatur, sicut opium etiam lachryma dicitur.* Ex *Apulia affertur* Venetias, *sed tamen ex papauere albo collectum.* Vt *plurimum aũt Meconium adferunt Apuli & nõ opium. Decet autem medicũ summa cum prouidentia porrigere opium, apponderationemq; magis in granis constituere, quàm in scropulis & drachmis. Siquidem Medicus in Austria pro grano drachmam opij propinandũ exhibens letheo somno perpetuo astrinxit*

astrinxit ægrotum, neq; hic etiamnum est experrectus, sed in omne æuum dormitat. Curationem tamen epoti opij uide non contemnendam apud Nicandrum ad finem Alexipharmacorum.

Opobalsami ueri notas & indicia prosequi fortaßis non fuerit multi commodi, quum hodie in uniuersum hoc succo destituamur, quemadmodum indicauimus in Commentarijs in Galen lib. de locis affectis conscriptis. Deprehenditur enim uerus Balsami liquor: Si laneæ uesti instilletur, maculam non relinquat, si lacti instilletur, coagulet. Aquæ aut lacti infusus quàm primum desijciatur & lactis modo albescat, Vetustate crassescat, Sed bonitatem amittit. Succus tota æstate manat, color autē uarius est. Primo enim quando inustum est colorem candidum habet, & oleo craßiori similis est: deinde rubescit: postea durescit & translucidus fit, optimus lachrymæ color est modice ruffus. Secundus in bonitate candidus, peior uiridis, peßimus niger. Sanè id diuinū medicamentū paßim ad ægritudines innumeras ualidum esset, si quemadmodum olim suppetebat, ita hodie uspiam conquiri posset. Tanta enim est eius facultas admirabilis, ut nullo auro, nullisq; gemmis utcunq; preciosis ualor ipsius redimi & rependi posset. Vel

illud cogitet aliquis tantum, quod tradit de Balsamo non paruæ apud doctos uiros existimationis, antiquus Auenzoar, quum lib. 2. Sectionis 2. cap. 7. inquit. Si tibi suppetit optimum Balsamum potandum præbeas ei, qui laborat lapide & confringes eum. Nanq; in animo reuoluo, quod quum in custodia retorto collo captiuus detinerer ab Hali Satrapa, oblatum mihi esse quendam illius amanuensem lætaliter iam affectũ à lapide uesicario. Cui optimi balsami unciæ partem tertiam propinari iußi, atq; eodem illo die lapidem est enixus, &c.

Orci tunicam quære in Anemone.

Eruum. Vitia. Orobon latine Eruum raro habent uerũ etiam in Italia Aromatarij. Quam ostendunt plerunq; Vitia potius est quàm Orobos, licet in Tuscia sit notißimum. Nam Florentiæ uidi album & rufum. Auicenna cap. 331. uocat herbam Iudaicam. Hæc Manardus. Otho quoq; in Tomo 3. cap. 123. uidetur male interpretari eruũ, id est, Vitiam.

Satyrion. Orchis Serapiades, id est, testiculus Serapiades, duos bulbos habet, maiorem & minorem, qui testiculi uidentur, unde nomen sortiti sunt. Satyrion autem uterq; unum tantum habet bulbum. Quare hi decipiuntur qui Orchin Satyrionem esse arbitrantur. Tamen uel Orchis radicem, aut Saty-

rionis

rionis acceperis, ad Venerem irritandam conueniunt. Licet Satyrionis radix sit efficatior ad hunc pruritum excitandum, utpote cui etiam nomen à Satyris salacibus animalibus inditum sit.

Osyris respondet uocatæ Linariæ, quæ est herba urinalis, & à quibusdam Germanis wild flachß & krottenflachß, id est, agreste linum & lacertarum linum, appellatur.

Oxyacantham quære in Berberis.

Oxytriphyllon herbam, Mauram, flauram & plantam Leonis dictam, trifolium uerum esse Cordus asserit. Habet enim hirsuta & acuta folia, rutam olet primum. Quando autem ad consistentiam peruenit olet bitumen, quod innuit Nicander subscriptis & per Cordum translatis carminibus. Leonis planta.

A tribus hinc dictam folijs si sumpseris herbam, Nicander
Non leue præsidium contra illa uenena pararis in Theriacis.
Sunt & qui Minijanthes eam, sunt qui Tripetelon
Appellant, qualis Loto est apparet imago,
Et similes rutæ, donec uiget, ædit odorem.
At flores ubi magna suos adnataq; membra.
Cœperit, ingratum solet eructare bitumen.
Collectum illius sume & bene contere semen,
Appositi quantum breue uas comprehendit aceti,

Atq; bonum aduersus serpentes ebibe potum.

Scribonius in nullis Italiæ regionibus, nisi in Lunæ portu, quū Britaniam peteret se uidisse dicit. Quare non potest esse trifolium nostrū, quod ubiq; scatet, & nullum habet nisi aliquatenus subdulcem odorem, Dioscor. lib. 3. cap. 114. Triphyllon & oxytriphyllon appellat. Eruditus quispiam è Medicis Germanis existimat trifolium uerū esse, quod Teutones uocant, Saur klee & Bůchampffer.

Ozymum Garyophyllatū apud antiquos uno nomine appellabatur. Pharmacopolæ duplex fecerunt, & Basilicam insuper uocant, ac si herbam Basilicam dixeris. Dioscor. uulgo etiam cognitam esse tradit, quanquàm curiosi plerinq; de omnibus gaudent dubitare, adeò ut nec saluia saluia, nec hyssopum hyssopum, neq; ruta sit ruta. Quod quidnam tandem aliud portenti parturit, quàm ut breui tam ingeniosi & acuti herbolarij sint conuicturi, neq; ficum ficum, neq; scapham appellandam fore scapham?

Oxymyrsinen quære in Brusco.

P

Paeonia à Pæone dicta uidetur, unde & antiquissimam herbam esse oportet, à Latinis Casta herba, à Græcis altero nomine Glycysis

quoq;

quoq; dicitur. Diosco li 3 ca 148 herbam duorum dodrantum altitudine dicit, quare uel Serapio uel translator eius errat, pæoniam facere arborem nititur.

Paliurum spinosum durumq; fruticẽ, Agathoclis, Theophrasti & Plin. autoritate quandoq; arborescere, quandoq; fruticis naturam non excedere traditum est. Pleriq; tamen fruticibus & rubis anumerant. Cuius semen Plinius in 24 contra serpentes efficacissimum adfirmat: item contra calculum & tussim laudatissimum est.

Palma habetur in Dactylo.

Panacẽ quære in Opopanace. Eius enim traduntur apud autores tria genera, Heracliũ, Asclepiũ & Chironiũ, quorũ Heracliũ tantũ quod meminerim uidi, et id quidẽ uno tantũ loco Ferrariæ in horto monachorũ quos Iesuatos uocãt, ex quo manat Opopánox, licet Mesue alterius fuerit sententiæ Man. li 9 Episto 4. Alia genera require in Diosc.

Papauer rubrum quære in Anemone similiter & Corniculare & Glaucium & Memithã.

Panis porcinus habitus est in Cyclamino.

Paralion indicauimus in Esula.

Paralysis herba ostenditur in Clauiũ herba.

Parietariam uide in Helxine.

Parthenij Prima species Matricaria quę & Febrifuga dicitur, & Germanice, Mertran reponitur ab inuestigatoribus rei herbariæ. Suffragatur huic sententiæ & Manardus, qui Matricariam Parthenium esse existimat, quamuis Brasauolus neget. Alludit ad hoc expreßis uerbis Otho in Palmodijs suis, ubi inter multas Partheniorum species, uerum tamen & genuinum Parthenium esse iudicat, quæ uulgo Matricaria uocatur, atq; aliâs febrifuga. Secundo species est Tanacetum uocatum. Tertia, Chamæmelum Anthemis Dioscoridi dicta. Quarta species Cotula fœtida uel Cotularia. Quinta species Oculus bouis uel Vaccinus, & Cotula non fœtens, Buphthalmos Diosc. nominata. Sexta species Mercurialis, Linozostis et bingelkrut Germanice dicta & schissmellten, in quo tamē errat Otho, qui has species ita digeßit in ordinē: nā Atriplex hoc nomine uocatur à Germanis. Septima species Parietaria, helxine Perdiciū, uitriola &, Germanice: Sant, Peters kraut uel tag vnd nacht nūcupatū. Octaua species Artemisia herba regia, olus regiū, beyfuoß Sant Io. gurtel uocāt.

Pastinaca pastenei dicta à nostris duplex est, Satiua et agrestis, quarū hæc in usum cedit medicū et nascitur in apricis pratis uberior, calida et sicca est.

est. Cuius folia corrodentibus mulieribus imposita, sanare ea dicitur. Semenq; eius ualide menstrua & urinam prouocat. Circumscalpti dentes radice eius dolore liberantur.

Pedem Coruinũ quære in Coronopode.

Pentaphyllon uulgarē herbam Tormentillã dictam esse credere quispiã potest, præsertim donec aliquando negotiũ penitius disentietur, et meliora inueniantur, atq; hac pro illo uti dabitur. Licet autē Tormentilla septē folia habeat, duo tamen parua sunt, ut ferè in foliorum numero haberi non possint: & licet mentæ folia non habeat tormentilla sicut Pentaphyllo tribuit Dios. aut uitis, ut Theo. Tamen radix Tormentillæ & rubra est quũ effoditur, & paululum nigrescit, incipitq; & desinit cum uite. Radix autem eius postquàm aruit, nigrescit, recens tamen effossa rubescit. Quod autē Pli. Veronensis Quinquefolium gignere fraga tradit, hinc est quod fragaria herba, quemadmodũ Leonicenus, Manard. & Brasa. experientia didicerunt in Veronensibus montibus, quinq; folia profert. Non est tamen Pentaphyllō Sanicula, ut nonnullis est uisum: quippe quæ potius in Solidaginum genere est recensenda, quàmuis equidem folia quinq; habeat, sed tamen radices nec rubras, neq; alicuius habet momenti. Otho Diapensiam & Solidaginem Collinutius

minorem recte nominari docet, herbam fortaßis ueteribus ignotam.

Peplion non esse Senam habebis inferius lib. 2. De recentibus medicamentis in dictione Sena

Perforatam quære in Ascyro, & rursus in Hyperico.

Perdicium uide in Helxine.

Periclymenon in Matresyluia descripsimus.

Persicus bonorum autorum sententia non absurde de nostra persico dici & intelligi potest, arbore uidelicet peregrina, & in sua terra letali, uerum quæ si aliò transplantata fuerit pomum admodum suaue & uentriculo gratum producit. Licet succus eius ualde sit corruptioni obnoxius, atq; ob id ab initio mensæ expetendus. De eo ipso Manardus lib. 8. Episto. 2. hæc tradit. Persicum omnes norunt pomum mensis expetitũ, & ori ualde cõmendatum, quare hoc non est in dubium à medicis reuocandũ: quod quidam facere soliti sunt. Meminit eius Galenus lib. 7. de Simpli Medic. Perseam uerò nemo mirabitur à nobis ignorari, qui apud Galenum lib. 2. de Compos. Medic. κατὰ τόπους legerit, nullibi sub Romanorum imperio eam arborẽ præterquàm in Alexandria à se uisam. Vide plura

plura libro secundo de Recentibus.

Personatia Germanis dicitur bůcholter. Vide Arctium.

Persicariam quære in Conyza.

Pes coruinus hodie dicta & pes Cornicis apud ueteres, sunt herbæ differentes. Nam noster uulgatus pes Coruinus uidetur esse Othone diuinante, herba quæ dicitur Silago, & à quibusdam Caseatrix. et Germanice, Rappensueß, & hannen fuß, id est crus Galli, diuersa à Coronopode Dios.

Petalitidem Cordus dicit eße eandē cum Phyllitide, de qua uide in Ceruina lingua.

Petroselinon quære in Apio. Est enim petroselinon nostrum apium satiuum & non uerum Petroselinon, quod ualet si interpreteris quasi dicas Saxapium uel Saxatile Apium. Manardus & Brasauolus.

Peucedani apud Diosco. lib. 3. cap. 83. descriptio conuenit aliquatenus uulgato fœniculo Porcino, quanquàm nemo è recentioribus meminerit, fortaßis propterea quod Diosco. & Plinius in Sardinia, Samothrace & Arcadia uerum & laudatißimum prouenire scribunt.

Phacos ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων, est lens palustris apud Diosco. lib. 4. cap. 84.

Phasi=

Phasiolus aliud est à Phaselo, & uocatur à Theophrasto Dolichus, latine Eruilia. Consideres autem in Galeni lectione phaseolum uel lobum Galeni tempore fuisse Dolichon. Theo. Gaza Siliquã uocat fortaßis non bene, Manardo ipsum notante. Quum recentes sunt simul cum seminibus comeduntur, Si quis iuxta lignum prælongũ eos affigat ascendunt rependo, sin minus uermiculosi redduntur ob redundantem humiditatem.

Philipendulã in Oënanthe indicauimus.

Phlomon Dios. lib. 4 cap. 99. nostrũ Verbascum uocauit, & officinæ eandẽ Tapsum Barbatum appellant. Ex ipsa Lychnia fieri poßunt, unde à Dios. Lychnitis & Thryallis dicitur, cuius flos est albus Germani wull kraut uocant. Alterũ uerò purpureũ florem habentẽ, Mariæ rosen nominant Musa. in lib. de Syrupis, floribus Verbasci in Hetruria ad coagulandũ lac rusticũ uulgus uti tradit.

Verbascũ. Tapsus barbatus.

Phœnicis auis meminimus in Dactylo.

Phœnix herba quam hordeũ Murinũ uocant nascitur recens confectis in tegulis frequentior q̃ in aruis folio hordeaceo. De qua Dios. li. 4. ca. 40.

Phu Dios. nonnulli Valerianã uulgatam esse credunt, herbam quidem minime contemptibilem, cuius radix præter cætera uel collo suspensa uel

in media

in media uola compressa, insigniter corroborat congressu cũ muliere. Mana. tamen li. 8. Episto. 1. addubitare cœpit phu esse Valerianã, nec dissimili ter cæteri, qui posterius rem herbariã scriptis illustrauerunt. Quia Valeriana omniũ generum folia apium potius refert quàm aut albam Elleboron, aut plantaginem. Quibus etiam consentit Oribasius hipposelino similia habere scribens.

Phylitidẽ memorauimus in Ceruina lingua.

Physalidium mentionẽ fecimus in Halicacabo.

Piganon quære in Ruta.

Pilosellæ ratio dicta est in Auricula muris & rursum in Helxine.

Pimpinellam absoluemus in Teucrio.

Pistacia quære in Fisticis.

Pityusam habuisti in Esula.

Pissasphaltũ plerið; eruditi uiri quibus plurimi ueri inuestigatio cordi est, Mumiam esse existimant. Nã & Serapio pro Mumia citat Dio. caput de Pissasphalto. Ex recentioribus etiam barbaris Iacobus Carpus Anatomicus non inexpertus ca. 43. suæ Anatomes Mumiã nõ carnẽ humanam exiccatam, sed Pissasphalton esse adserit. Meminit Galenus lib. 11. de Simplic. Medic. facultatib. Non abludit Auicenna lib. cap. 478. qui addit odorem

picis habere dum masticatur, quod uerũ esse, quiuis statim primo gustu experiri poterit. Diosco. fluminum impetu ex Ceraunijs montibus descendere testatur. Minima igitur est illa compositio per se sola ex pice et asphalto, quæ naturalis est in Apollonia Epiri: licet eadem etiam cum aliqua mortuorum parte poßit permisceri. Fit autem per defectum ex artificio, pice & asphalto mixtis. Nam aliqui ut testatur Brasauolus in mortuorum condituris utuntur solo asphalto, alij picem addunt, alij Myrrham, aloën & crocum, alij & Opobalsamum.

Plantã leonis definiuimus in Oxytriphyllo.

Plantaginem descriptam inuenies in Arnoglosso Cuius uim egregiam plerique sunt experti in lue pestilentica. In qua sæpe tã insigne de se hoc simplex specimen præbuit quibuscunque administraretur modis, quantum non aliud ullum.

Plantaginẽ aquaticam quære in Alismate.

Polemonium Diosco. lib. 4. ca. 9. Oto existimat eße herbam Tunici, nonnulli rutam agrestem, alij rutam Caprariam, quam Itali Giargam uocant. Eius sententiæ sunt Leonicenus & Manardus lib. 18 Episto. 1. Musa Brasauolus obseruatum frequentißime per huius succi potionẽ scribit

plurimos

plurimos in sanitatem restitutos pestilentia correptos Nam & Dioscorides contra serpentes ualere dicit & uenena: serpentes enim & puerorum uermes mire interficit Ex eius itaq; succo Aloë Myrrha & Croco præciosissimum ungentum ad uermes puerorum paratur. Alij tamen hanc herbam fœnum græcum syluestre, alij herbam Sarrocenicam appellandam censuerunt. Sarracenica herba.

Polentam uide in Alphita.

Polium non est Tinearia. uide Heliochryson.

Polygonaton uide in Corrigiola, & in Lilio conuallis.

Polypodion Latini filiculam appellant. Mesueus eius exhibendæ in purgationibus scribit non quatuor aureos esse transcendendos. Manardus uerò integram unciam per se parum purgare adseuerat.

Populum nigram quæ Græce dicitur αἴγειρος uetus Galeni translatio habet calidam esse in tertio gradu. Serapio cap. 276. idem confirmat Sed & Oribasius lib. 2. ad Eunapium, & lib. 15. ad Iulianum Cæsarem inter calida tertij ordinis computauit. Auicenna autem cap. 344. uehementer calefacere dicit in tertio gradu. Sed Græcus

Gal. docet esse calidam in primo gradu, Galeni simia Paulus itidē in primo ordine calidā præscribit Cui Constantinus quoq; cōsentit monachus, autor non usq; quaq; adspernabilis. Neq; enim arbor ipsa multū est odorata, neq; eximio aliquo sapore prædita dum gustatur: primo nanq; modice astringit: postea amaritudinem quandam obscuram inuehit, olfacienti quid non insuaue, uerum exiguum id omnino representat: calfacientem autem non ualde inuenies. Manard lib. 1 Episto. 5.

Portulacam syluestrem quære in Aizoo. Præstat autem portulaca ipsa cōmanducata et masticata, quo nomine plurimū expetitur, remedium egregium in Aemodia, id est stupore dentium.

Polij mentionē repetere libet, constat autem montanū polium esse in usu potißimū, autore Dio. Neq; habet folia hominis ut nonnulli putarunt, sed in summo capitulū paruū habet, cano hominis capillo egregie simile Pli. Tripolum cum polio cōfundit, ut ostendit Leonicenus in Epist. ad Hermolaū.

Pompholyx Græcorum idem est, quod hodie in officinis Nil appellatur. Manardus.

Primulam Veris quære in Clauū herba Quidā hac herba in acetarijs utuntur, est equidē herba calida et sicca, & ꝓpterea iliacæ paßioni

& utero

& utero dolenti salubriter succurrit. Herba est humilis, cuius folia supra terram extenduntur, & florẽ paruũ fert album, cuius extremitates tamen phœniceũ colorẽ imitantur. Pli. lib. 21. ca. 11. inquit florũ primo uernuntiantiũ, uiola alba, tepidioribus uerò locis etiã hyeme emicat. Brasa. animaduertit in Ferrariensi solo, quum mitiores essent hyemes, toto anno prouenire. Appellatur etiam herba S. Petri, Herba paralysis & Margarita.

Prunellus appellatur arbor syluestrium prunorum, unde nostri aromatarij desumunt Acaciam suam, uidelicet non ueram. Vide Acaciam.

Psyllium in maritimis locis illustrißimi principis Herculis Estensis Brasa. tam ingenti copia nasci scribit, ut inde magna summa Venetias asportetur per aromatarios. Pulicaris herba dicitur à Latinis, uel quia pulices fugat: uel quia semina pulicibus similia habet: nam & psyllion pulicem significat.

Poterion & Neuras est idem frutex quanquàm Aegineta differentes putauit. Cornarius Germanorum Schlehen eße poterion adseuerat.

Pulegium nostrate Cordus negat esse Pulegiũ, marem tradunt habere flores purpureos fœminam albos, & fœminã esse mare efficatiorem

Fuitq; adeò notum antiquis, ut superuacuum putarint scribere quale esset. Hermol. in Corollario nunc dubitat an uocatum Pulegium Calaminthæ genus sit an uerum pulegium. Theophrastus & Pli. scribunt quod brumali solstitio surculi eius seiuncti & in carnario suspensi floreant, quo indicio fortaßis queat deprehendi uerum pulegium. Illud quoq; eius indiciũ est non exiguũ, si nigram bilem purgat ut Dios. docet, Bibiturq; huius rei gratia cum melicrato oxybaphi, id est, acetabuli mensura, ut tradit Paulus, & continet Acetabulũ cyathũ unum semis, hoc est, drachmas quindecim, licet nonnulli drach. 22. & alij 24 esse dicant. Ego pro cõperto habeo uulgare nostrũ pulegiũ à uero non differre, eoq; quoties occasio se offert securus utor propereq; cedit in his facultatibus, quas ei autores medicinæ adscripsere Manard. lib. 12. Episto. 6.

Acetabulũ

nota.

Pyrgitis unum ex nominibus est phyllitidis quam linguam ceruinam appellant: quia in umbrosis locis & imis turribus nascitur.

Pulmonariam uulgarem herbam huc reponendam censui, quanquã eadem negligi uideatur ab eruditis quibusdã uiris. Pulmonibus nanq; egregie opitulatur, et robur ipsorũ cõseruat exaugetq; Quemadmodũ experiri licet in pulmone animalis

cuiuspiam

cuiuspiã decocto cum hac herba & nõ tamen mar cescente, neq; eliquato quanquàm igni aliquandiu supposito & quantum satis est accenso.

Pycnocomen Dios. & Pli. herbam esse coniiciunt eam quæ à Germanis Barba capræ uocatur, & habet Erucæ folia, craßiora tamen & acriora, radicem rotundam, lutei coloris terram olentem, caulẽ quadrangulum, florem Ozimi, mo dicũ tenuemq;. Semen eius discutit tumores, si cum polenta emplastri modo impositum fuerit. Infixa præterea corpori, ut cuspides & surculos, extrahit

Pyrethron Latinis herba saliuaris dicitur quia nihil æque bonum reperitur ad saliuam excitandam. In Apenninis alpibus frequens nascitur, Et feruet quidem quod ex his montibus affertur, & magis si aridum quàm uiride. Attamen quod ex Græcia asportatur magis feruet, & craßiores habet radices. Laudatißimum ex leuore huius & butyro fit unguentũ ad curandam serpiginem. Incoquitur etiam oleo oliuæ & magnum auxilium resoluto membro ex paralysi adfert, quod ex eo frequens fuerit inunctum. Q

Quinquefolium uel Pentaphyllon quod Tormentillæ nostrati plurimum respondet quære in Pentaphyllo.

R

RAnunculum *quære in* Batrachio.

Ramnus *Dioſcoridis, non eſt rubus ut uolunt quidam, ſed potius Ceruinus ſpinus, in Eryſipelatibus & Herpetibus: tamen non utor quum habeam alia longeq; magis expoſita. Vim eius in Herpetibus tacuit Auicenna, ſicuti & quod pro amuleto ſit in floribus & feneſtris ſuſpenſus, ad mala arcenda medicamnia. Manardus li. 9 Epiſto 3.* Ceruinus ſpinus.

Rapa *ſatiua eſt Gongyle apud Dioſcoridem li 2 ca 102.*

Raphanus *duplex reperitur, cuius altera ſpecies radix, altera uero Armoracia & raphanus agreſtis appellatur.*

Raphanus *autem ſylueſtris eſt Græcorum Apios.*

Rha ponticum *uide in Centaurio.*

Reſtam bouis *quære in Ononi.*

Rhun *abſoluemus in Sumach, & Erithrodano.*

Rhoëas *eſt papauer rubrum in ſegetibus frequens natum, non tamen Glaucium, ſed quod Germani glatzen & ſchnaltzen appellant.*

Ricinum *quære in Catapucia maiore.*

Roſam

Rosam *Caninam quære in Hypociſthide.*

Roſmarinus *habetur in Libanotide.*

Rubea *Tinctorum Erythrodanum apud Dioſcorid. dicitur. Eius una ſpecies in incultis naſcitur, & ſæpibus adhæret, folijs in ſtellæ modum per interualla coliculum ambientibus, & à quibuſdam Aparine putatur. Altera ſatiua uera Rubea priori ſimilis, cauliculo maiori & firmiori, radicibus rubentibus, & rubeum ſuccum continentibus.*

Ruſcum *corrupte quem Dioſc. & Galen. uocant Bruſcum, & Latini ſylueſtrem Myrthum. Dioſcor. lib. 4. cap. 141.*

Rubeam *minorem quære in Aparine.*

Ruta *à Muſtelis hominibus dicitur commonſtrata: nam hac ſeſe dimicaturæ cum ſerpentibus & muribus muniunt, quò tutæ ſint à ueneno. Cenſetur enim ruta ſingulare Antidotum contra uenena. Galeno teſte calida eſt in tertio Plinius exiſtimat rutam furto ablatam melius proficere, ſicut contra, ſurrepticias apes, non poſſe proficere. Excellenter uiſum confortare dicitur in cibo ſumpta, ſimiliter & ſuccus expreſſus probatur ſi purificatus & in oculos fuerit immiſſus.*

Rubus *caninus eſt Græcis Cynoſbatos, habetur in Corno.*

Rumex est ea herba quam Græci lapathon uocant. Lapatium autem corruptum est & pro Lapatho inoleuit apud uulgus.

Rubus autem & Sentis sunt generalia nomina arbuscularum spinosarum. Sed apud Græcos generale nomen est Batos. Plinius scribit & utitur hoc nomine Rubus. Columella hoc nomine Sentis utitur. Hinc apud Galenum sæpe μῶρα τοῦ βάτου legimus, sed Latini his uocabulis differentias addunt, quod & Græci prius fecere. Nam apud Latinos differentiæ sunt, rubus caninus, rubus Ideus, rubus terrestris, uel sentis canis, uel caninus, sentis humilis uel terrestris, Sentis Idæus: Græci autem habent Cynosbaton, Baton Ideum, Chamæbaton. Nunc mora quæ in spinis sunt supra rubos, in senticetis, pro tuendis aruis à beluis & hominibus, absolute rubi Mora dicuntur, uel mora sentis, uel mora sentis canis, uel Mora bati, uel batina. Ideus autem rubus non solum ut Ida monte ubi in magna copia abundat, prouenit, sed etiam in Italia, in foueis quæ agros disterminant, & alienos greges arcent, nascitur: breues spinas habens et tenellas, ipsáq; arbuscula tenella est & flexibilis. Plinius, Dioscorides, Galenus, Paulus & Aëtius tantum de duobus generibus rupi considerant, de

Cynosbato

Cynosbato uidelicet & de Bato, & de rubo Ideo nusquàm, tanquam de eo qui non est distinctus à rubo nisi per teneritudinem & spinas. Tantũ igitur duo esse rubi genera constat, scilicet rubũ absolute, uel rubum terrestrem, uel rubum humilem: & Cynosbaton, id est, Rubum Caninum. Quia rubus Ideus saltem uiribus à rubo humili non differt, nec de illo Græci tanquàm de re distincta tractant. Scias igitur id genus Sentis aut Rubi, quod Chamæbatos, id est, humilis rubus à Theophrasto uocatur à Dioscoride, Galeno, Paulo, Aëtio, absolute Baton dici, à Plinio rubum, à Columella Sentem, & gignit mora campestria ab Italis uocata, quæ cum uindemia maturescunt nigraq; fiunt & dulcia ad summum 5. aut 6. granula habentia, sumendaq; sunt ad confectionem Diamoron. Sed quem Theophrastus Cynosbaton uocat, id est, rubum canis uel Sentem canis, est Rubus de quo Dioscorides, Gale nus, Paulus & Aëtius agunt, In foueis plerunq; inuentus, ad arcendas beluas & furaces homines, facitq; mora ad oliuæ magnitudinem. Rubus ideus inuenitur in Senticetis agrorũ, habens spinas paruas, raras & qui magis tenelli sint, & eorũ mora magis rubra. A Musa in libro de Syrupis.

S

SAl Indicus est Saccharum. Manardus.

Salicem Amerinam quære in Agno casto.

Equorum numero Leonicenus. Spica. Saliunca est nostra Spica, ut Manardus lib 11. Epist. 2. docet. Perperam autem quidam Medici pro Saliunca Spicam Romanam putant intelligendam. Quoniam aliter Spica Celtica à Dioscoride, quàm Saliunca à Plinio describitur. Euricius Cordus uir eruditißimus, arbitratur nostram Spicam nardũ, qua in lixiuio utuntur tonsores & balnearij esse Saliuncam: uel certe eam herbam, qua Dioscorides queritur adulterari spicam Celticam, alio nomine Hirculũ dictam ob fœtore hirci. Lauandula Maior tamen habens spicas longiusculas, est Lauandula nostra à lauando sic appellata, quia Aphri à nobis exportaret ad se, & mane hac se eluunt priusquàm proreptent extra ædes suas.

Sampsuchum, id est, Maron Diosc. lib. 3. cap. 44. deliniat, quam Amaracum & Maioranam uocari tradit: cuius nec meminit Galenus nec Aegineta.

Santonicum quære in Absynthio marino.

Sanamundam nonnulli Garyophyllatam appellant.

Sandyx non est herba sicut Plinius lib. 21. cap. 15.

cap. 15. putauit ex Virgilio 4. Aegloga dicente Sponte sua Sandix pascentes uestiet agnos. Quoniam Virgilius non de herba, sed de colore intelligit. Siquidem ex Cerussa ustata fit Sandaracha, & ex eadem tosta cum æqua rubricæ parte, Sandyx. Licet secundum Dioscor. & Galenum Sandyx statim ex usta Cerussa redditur. Quod confirmat Aëtius lib. 2. cap. 59 dicens: Syncera cerussa si crematur in Syricũ transmutatur, quod medici uocant Sandicem, quod subtilius quidem Cerussa cremata redditur, nõ adeò tamẽ ut calefaciat. Potuit tamen fieri ut Scandix legeretur. Scandix autẽ Aëtio lib. 1. teste agreste olus est Gingidio simile acre & subamarum, ut tertio ordine minime tamen intenso calefaciat & exiccet. Quod urinam ducit, ac uiscerum obstructiones aperit. Ignorari hodie ab officinis tradunt herbarum inuestigatores.

Satyrionem require in Orchi Serapiade.

Saponariam uide in Struthio.

Satureia est Cunila hortulana.

Saxifragon, uel Saxifraga uel Sarxiphagon uel Saxifragia à Germanis respõdenti nomine Steinbrech appellatur. Cuius extant historiæ apud Diosc. lib. 4. cap 190. et cap. 191. & apud Plin lib. 27. cap. 9. Brasauolus ita commeminit Saxifragon

& Empetron

& Empetron diuersas herbas esse arbitror, neq; puto caput in Dioscoride superfluum, quod tamen Virgilio Marcello uisum est. Alias enim uires Dioscor. Empetro, alias saxifragæ tribuit, similiter & aliam figuram, licet Paulus omiserit: nam pauciora scribit quàm Dioscorides fecerit, imò & nonnulla de quibus nunquàm Dioscor. tractat, ut suo loco manifestabimus.

Scammonium succus est radicis herbæ quæ Scammonia nuncupatur, quàmuis & nomen Scammonium herbam & succum uel lachrymam significet. A Romanis Colophonium dicitur, quia in Colophonia optimum nascatur. Recitat Brasauolus semidrachmam aliquando in Morbo Gallico se exhibuisse, et mire profuisse. Deinde hydropem patienti scropulum unum: deinde duos & tandem tres porrexisse, sed nihil eduxisse. Vidit qui duas drachmas scammonij commederit, qui tamẽ quater aut quinquies tantum eiecit. Causa est quod raro bonum Scammoniũ habeamus, quia potißimũ quod Venetias affertur ex Syria & Iudea asportatus, quod quidem deterrimum est & ponderosum. Plinius & Dioscorides hanc plantam etiam in Apulia tradunt nasci, nõ contemnendã sed satis efficacem.

Schœnu Anthos à Germanis Kamel-

hów

hôw, id est, camelorũ fœnum appellatur. Schœni enim flores tantum & pars superior utilißima est, quam Arabes reseruant et nobis stramina mittunt. Significat aut Schœnos Græcis iuncũ, unde per excellentiam iuncum odoratũ representat. Nascitur in Arabia & Libya. C. Celsus ad differentiam quadrati & palustris Iunci, rtoundum iuncum appellat. Schinos autẽ Græcorũ à Latinis Lentiscus dicitur, unde Mastiche destillat, id est, Resina Lentiscina, uulgus Masticem uocat, qua Germania caret.

Scilla Latinis Cepe muris et corrupte Squilla uulgo appellatur.

Scingus apud Dioscor. lib. 2. cap. 59. est Crocodilus terrestris, quẽ Stincum uocant, non est autem lacerta aquatica, ut opinantur Seplasiarij.

Sclaream quære in Bacchari.

Scolymos fortaßis est Germanorũ Vechdistel, id est, Carduus pecuarius.

Scolopendrion uerum non esse uulgatam Ceruinam linguã notius est quàm ut prolixius disputetur. Describiturq; ab iis qui uiderunt folijs multis, Scolopendræ animalis similibus à radice una prodeuntibus. Folia illi filiculæ modo diuisa, neq; caulem, neq; florem, neq; semẽ habens. Quam herbam Cordus olim Latinis Calcifragam et in tabernis iam

iam Arabice Ceterach nominatam tradit & Germanice Steinfarn. Vide plura in Asplenio.

Scolymum insuper Latini Carduum appellant, Libet autem in memoriam reuocare quod hic fuerit apud ueteres edendo, Diosco enim li 3 ca 14. Coquitur, inquit, præterea esturq; asparagi modo, nõ multo ante nata & adhuc tenera cardui, herba. Plinius. li 19 ca 4. Et Iamne in herbis discrimen inuentum est, et deinceps. Et in his aliqua sibi quoq; nasci tribus negant. Caule in tantũ signato, ut pauperis mensa nõ capiat. Syluestres fecerat natura horridos, ut quisq; demeteret paßim. Ecce altile spectantur Asparagi, et Rauẽna ternis libris rependit. Heu prodigia uentris, mirũ eßet nõ licere carduis pecori uesci, nõ licet plebeis. Et rursus cap. 8. Poterant uideri dicta omnia, quæ in precio sunt, ni si restaret res maximi quæstus nõ sine pudore dicenda. Certum est quippe Carduos apud Carthaginem magnam Cordubamq; præcipue sestertia sena milia è paruis ijs reddere: quoniã portenta quoq; terrarum in ganeam uertimus, etiam ea quæ fugiunt quadrupedes consciæ. Reuixit & repululauit ineptus hic cibus etiam apud quosdam nostratium, qui nihil aliud quàm Carduos esitant dum uocatos Scary offeln comedũt et in delicijs habent plurimũ,

quo tempore anni è terra proueniunt. Vulgus collecto carduorum semine, contra pingentes laterum dolores intestinorumq; Strophos utuntur, quasi acuta herba acuto morbo medeatur. Et uidimus nos non fuisse conatus irritos excellentis Medici, qui in Pleuriticis doloribus aqua ui ignis elicita, ex Carduo præsertim eo quem Benedictum nominant, frequenter utebatur & uoti compos reddebatur.

Scordion quære in Allio syluestri.

Scrophulariam uide in Galiopsi.

Secacul uide in Eringio, in Corrigiola & Lilio conuallis.

Seitaragi uarij uarie definiunt. Virgilius Marcellus Lepidion esse credit.

Sempem uiuum quære in Aizoo.

Senetionem require in Erigeronte.

Sedum quære in Aizoo.

Seris, id est, Intybus in agrestem & satiuum diuiditur. Agrestis Picris & Cichorum uocatur, Germani wegwart nominant: quasi custodem uiarum. Nã uidetur ferè indicare uiã peregrinis. Licet Græci per Cichoriũ tã syluestre quã domesticũ intelligant. Satiuus duplex est: cuius unũ genus latiora folia habens lactucæ simile quod Endiuiam corrupte

corrupte uocamus. Equidem Endiuiam, inquit Cordus, ab Intybo, cui eadem est, paulatim corrupta uoce deductam puto: quam & Germani & Galli Endiuen appellant. Alterum strictiora folia habet, quod Itali radiculam hortensem uocant.

Sebram aut Alsebram uide in Esula.

Sentis habetur in Rubo.

Seseli quære in Silere montano.

Siliquastrum Plinij est idem Hydropiperi Dioscoridis, & fortaßis Persicariæ illi mordaci.

Serratulam quære in Betonica.

Sesamum syluestre quære in Kerua.

Sigillum Salomonis quære in Corrigiola.

Siler montanum est Seseli Diosco, à quo tria genera li 3 ca 55 describuntur. Seseli Maßiliense, Aethiopicum & Peloponesiacum. Est autem Siler montanum recentiorum apud Diosco. Seseli Maßiliense: si descriptiones conferantur, quia habent folia fœniculi & reliqua Seplasiariorum tamen Siler Seselios Aethiopici semina uidentur, quia semẽ est amarum. Maßiliense autem amarum non est, sed acre.

Siligo autoribus fuit olim purißimum Triticum, ut colligitur ex li 2 de Alimentis apud Galenum: ubi

lenum: ubi ex Tritico quinq; genera panis enumerat, quorum omnium purißimus fuit Siligineus, constans ex siligine purißima farina tritici. Secundus erat similagineus ex simulagine paratus, farina tritici non tam perfecte pura. Tertius Autopyros cum ipsis furfuribus coctus & conflatus ex toto tritico. Quartus Sordidus ex multis furfuribus confectus. Quintus totus furfuraceus. Quæ autem nunc Siligo dicitur uidetur apud antiquos esse dicta typha & Olyra.

Siliquam Aegyptiam quære in Caßia.

Siliquam & Siliquam Græcam uide in Ceratijs.

Simeonis herbam quærito in Alcea.

Sion quidam aquaticam Anagallida, alij Darenion, alij Lauer, alij Schinon aromaticum uocant. Reperitur in aquis frutice pingui, recto, folijs latis, olusatro similibus, scilicet minoribus & odoratis. Otho interpretatur Germanice dictum bachbun. Chirurgi utuntur ad uulnera curanda.

Siser quoq; inter radices quæ edendo sunt existit, prorsus amœni gustus & odoris ad lautitiam generosorum expetit: nostra lingua Geirlin & non gergelin appellant. Diosco. describit li-

ca .105. Manardus putat rapa illa flaua uel crocea Germanorum & Vngarorum. Quæ Plinius Tyberium inde petijsse scribit causa sanitatis.

Smyrnium Diosco. li 3 ca 72 Cordus existimat uulgatam esse Angelicam. Quando enim stringitur Myrrhæ spirat odorē, id quod Diosco. Smyrnio tribuit. Manardus li 12 Episto. 4 Olusatrum interpretatur & li. 9 Episto. 4 apud Italos Alexandrum, et Florentiæ Macerones, corrupta à Macedone nominatione.

Smilacem Manardus li .9 Epistola 3 tradit esse præsertim apud Serapionem & Auicennam, eum qui nunc uulgo Phasiolus dicitur. Alioqui autem specie inter se esse diuersa hæc tria Phaselum, scilicet communem Phasiolum qui & Lobos & Eruilia dicitur, & Smilacē hortensem. Describitur autē Smilax hortensis à Diosc. li 2 ca 135 Est insuper alia Smilax aspera et rursus alia sine aculeis siue leuis, quas describit Dioscorides. li 4. ca 139 & 140. Aduoluuntur omnes istæ species Smilacis arboribus, supra infraq; se circumagentes. Scenæ tabernaculaq; Smilace illa posteriore fiunt. Per totam enim hanc Smilacem numerosi colore candido orbiculati flores exeunt. Idem scribit Diosc. de hortensi, quæ graciles caules habeat,

&

& in caulibus capreolos propinquis fruticibus se implicantes, tanto undiq; incremento, ut scenas etiam & tentoria inumbret. Smilax autem aspera, id est, Cilissa uuas habet modo labruscæ, atq; uuam nigram non habet sed rubram, ac pulchro rubore insignitam. Smilax autem arbor describitur ab eodem Dioscoride. li 4 ca 76. quæ est Taxus. Vide Nicandrum Alexipharmacorum folio ultimo. Otho tamen in Palinodijs pulchre diuinat Diosco. per descriptionem Smilacis hortensis, explicuisse, atq; acu quod dicitur, pinxiße fabacei generis semina, quæ paßim hodie decoris tantũ gratia in hortis serunt mulieres, atq; nomen indiderunt Gallicas uel Italicas fabas. Addit enim Diosc. quod Siliquas ferat fœnograeco similes, longiores tantum, craßiores, in quibus semina renibus animalium similia, nec colore uno uerum altera parte leniter rufa. Vir. Marcellus fatetur se ignorare neq; unquàm in conspectum eius uenisse. Fabæ italicæ.

Solanum uulgus solatrum uocat, estq; Solanum hortense Strichnon Diosc. Manardus li. 12 Episto. 4.

Soldanella hodie uocata est Braßica maritima. Diosc. quoq; in maritimis ostendit nasci. Aquam intercutem habentes mire soluit, ut plures

eius puluere sanos reddiderim. In Palestina Venetorum inter Motamauchi nunc Melamochi portum, & fossam Clodiam quæ Chioza dicitur sita, circa maris littora magna copia inuenitur. A. Brasauolus.

Sorbas non esse poma syluestria constat. Otho in 3. Tomo Eschrößlin tradit appellari, quidam alij Arles beer.

Sparton Galenus & Spartion Dioscorides lib. 4. cap. 152. uocat quam Latini Genistam appellant fruticem breuem durumq́;, & sine folijs uirgas habentem (licet Plinius addubitet num sparton Genistam interpretari liceat) Sunt autem eius uirgæ natiuo lentore infragiles, quibus uites ligant, siliquas phaselorum modo fert, in quibus semen ceu lentis est, florem luteum qualem uiolæ habent, quas Leucoia uocant. Rusticis ingrata planta eò quod Gallinæ semen hoc depascentes emoriuntur.

Spinum ceruinum quære in Ramno.

Spicam habes in Nardo.

Stacten quære in Styrace liquida.

Staphis agria herba pedicularis uel pedicularia dicitur, quoniam pediculos necat ut meminit Scribonius. Hanc Plinius lib. 26. cap. 13. Vuam Taminiam appellat, licet lib. 26. cap. 1. labruscam

credere

credere se dicat quam uulgus uuam Taminiam uocet. Nam proxime ante hunc locum, inquit, Astaphis Agria siue Staphis quam Vuam Taminiam aliqui uocant falso Cornelius tamen Celsus lib. 3. cap. 21. Vuam Taminiam Staphida agrian Græcis dicit appellari Nec tamen ignores Diosc. lib. 4. cap. 177. Bryoniam nigram scribere à Romanis uuam Taminiam dictam esse.

Stibon est Antimonium. Manard. Quod Plinius lib. 33. cap. 6. Platyophthalmon uocatum scribit, quia in oculorum medicinis plurimũ ualet, & oculos dilatat. De quo Galenus disserit lib. 9. de Simp. Medic. facult. Inuenitur in metallis argenti. Gynæceum appellatur, quia eo mulieres fucantur eliquata aqua nunc in quadam Italiæ parte. Diosc. autem & Plinij tempore aptabant sibi oculorum supercilia Antimonio, præsertim mulieres Hispanæ, quibus nullæ in luxum magis pronæ.

Stellam terræ quære in Lunaria herba.

Stoëchadem citrinam quære in Amarantho. Nascuntur Stoëchados flores pulcherrimi in insulis è regione Maßiliæ, quæ quod in ordinem sitæ sunt Stoëchades dicuntur: est enim aliqua prima, & altera Media et tertia ultima: unde Prote, Mese & Hype sunt appellatæ, ut testatur Pompo-

nius Mela.lib.2. & alij Cosmographi. Seruatur in usum medicum summi apices, hoc est flores, quibus si aliqua foliola inhæreant nihil oberit. Arabes Arabicam Stoëchadem plerunq; uocant & recipiendam ad medicinas docent, ut sibi magis cognitam. Non enim negandum est in alijs locis crescere Stoëchadem, quũ uel in agro Ferrariensi copiose proueniat: boni autem est odoris quare uestibus interponitur & præseruat eas à Tineis.

Strychnon urbanum Solanum hortense & uulgo Solatrum uocant. Manardus.

Strobilon nucem pineam uocat Galenus Pityides autem sunt interni earum nuclei.

Struthion radiculã siue lanariam herbam, quidam putant nostram Saponariam. Genuensis, quod officinæ Condisi uocant. Dioscorides lib. 2. cap. 152 herbam esse docet qua fullones in purgandis lanis utantur.

Stratiotes Dioscoridis lib. 4. cap. 98. est millefolium nostrum: nam per omnia respondet historiæ, uirtus eius omnino uulneraria est, mulierculis & tonsoribus nunquàm non ad manum habetur. Alia autem est herba eiusdem libri cap. 110. descripta sub nomine Myriophylli.

Sumach Arabicum est Rhus Græcorum apud

rum apud Diosc. lib. 1. cap. 128. Appellatur etiam Ros Syriacus, sicut testatur Manard. lib. 1. Epist. 4. nec dum habet latinum nomen, ut inquit Plinius. Ros enim appellatur apud Celsum lib. 6. cap. 11. Vbi tamen non Ros sed Rhus, quem Syriacum uocant legendum esse arbitror. Est & alter Syriacus succus ex Lasere collectus. A Dioscoride enim lib. 3. cap. 85. Cyrenaicus & Medicus & Syriacus asseritur, licet Plinius lib. 22 cap. 23. Syriacum laser præstantius affirmet Medico. Archigenes quoq; hunc per excellentiam aliquando Succum appellauit, nõ addendo Cyrenaicũ quemadmodũ nonnunquã Opium, non addendo papaueris, dicimus.

Symphyton maius Solidago maior, walwurtz & schwartzwurtz Germanice appellatur. Apud Auicennam est Succutum: nam omnia illius competunt huic. Dioscor. luteum & florem adsignat. Sunt tamẽ qui & album aliquando uiderunt. Cæterum Symphytum Petreum Consolidam minorem uolunt nonnulli reperiri non posse, neq; esse eandem quæ nunc quædam pharmacopolia habent, atq; hoc nomine iactitant.

Sycomorus Galenus teste 2. de Alimentorum in Alexandria nascitur, dicitq; posse reponi in medio mororum ac ficuum, unde huic etiam

nomen est impositum: nempe ob similitudinem quã habet cum moro & ficu. Appellatur autem uera

Sycaminus. Morus etiam Sycaminus. Adserit ibidem Galenus

Ficus fatua Sycomori fructum non esse ficum fatuam, hoc est μῶρον σῦκον quibus uerbis uidetur Diosco. notare sententiam, qui lib. 1 ca. 148 palam, id est confessus.

Sycaminum quære in Sycomoro.

Sylphium explicauimus in Laserpicio.

Symeonis herbam quære in Alcæa.

Syriacum succum quære in Sumachio.

T

TAmarix Myrica & hodie Tamariscus appellatur, nobiscum est sterilis in alijs tamen regionibus gallæ similes profert fructus. Vide Myricam.

Taminiam uuam quære in Staphidagria.

Tanacetum Apium rusticum, Artemisia domestica. herba Sanctæ Mariæ, Reinfarn, wurmkraut Matricaria media: secunda species matricariæ & Partheniorum creditur ab Othone. Vide Ambrosiam.

Tapsum Barbatum uide in Phlomo.

Taraxacon Brasauolus in libro de Syrupis in hunc modum considerat. Serapio dicens: de

Dundebe

de Dundebe cap. 143. scripsit, Idem significante quod Seris, dicitq; Taraxacon esse syluestre dundebe, id est, Seridem syluestrem. Est autem apud Dioscoridem syluestris Seris Picris, id est, amara, quam Cichoreum appellari dicit, unde illa herba quam uulgo radechio syluatico nuncupamus est Seris syluestris & Cichoreum Dioscoridis, & Serapionis Taraxacon. Dicant quodcunq; recentes, nam in inueuenda hac herba plurimum hallincinantur. Res igitur ita se habet. Radix syluestris amara, qua in acetarijs quandoq; utimur est Serapionis & Muritanorum Tataxacon, & Seris syluestris atq; Cichorium Dioscoridis. Quære plura in Cicerbita.

Teucrium Diosco. lib. 3. cap. 102. herbam inquit, esse uirgatam trixagini similem, tenui folio ciceris figura, nasciq; plurimum in Cilicia: decoctum eius lienes minuere, contraq; uenenatorū morsus ex aceto prodesse. Brasauolus si Trixaginis picturam consideres, inquit, quam nos uulgo Calamandrinam quasi Chamædryn appellamus, habet folia diuisa sicuti quercus, ut manifestum uideatur Teucrium Pimpinellam esse. Quod ego non ita temere assero, tamen suspicor, & figura illi satis affinis est, imò & uires, quoniam lienosis & uenenatis succurrit. Pimpinella

Thryallis tamen non est Pimpinella, sicut Gaza in Theophrasti interpretatione transtulit: quoniam descriptiones sunt dißimiles. Pimpinella habet surculos ab eadem radice plumos ac densos, rubros cum radice, folio paruo orbiculato & extremitatibus serrato, & facit semina in modũ mori rubri. Hanc & pampinulam, Bipenulam & sanguisorbam quidam uocant. Cui Thryallem conferas, ut Diosc. pingit in Phlomide, & nullam habere cum prædicta similitudinem statim constabit, ubi Diosco. inquit. Est & tertium Verbasculum, quod Lychnitim, id est, lucernare, quidam uerò Thryallida appellant, tribus quatuorúe & aliquando pluribus folijs uirens, hisq; craßis, pinguibus, hirsutis, ad lucernarum funiculos utile. Habet autem, ut Cordus meminit, candida lanuginosaq; folia & florem purpureum, & ex conuolutis siccatisq; eius folijs seruientia lucernis ellychnia fiunt. Germanice uerò campulosa & Mariæ rosen, id est, Mariana rosa uocatur.

Terebinthinæ rhesinæ uice hodie utimur peucina uel Laricea rhesina Manardus. Aëtius autem Lariceam rhesinam ad omnia esse accomodabilem tradit, ad quæ Terebinthina.

Thapsia sit qualiscunq; herba uelit, quam hodie

hodie sic appellant, constat non esse uerā thapsiam De qua Galenus lib. 1. cap. 1. De compos. Medic. κατὰ τόπους inquit. Thapsia exulcerationes in cute excitare consueuit & omnino quosdam inflammatos tumores. Vsus sum & sola thapsia uehementi eius facultate larga aquæ ammixtione exoluta. Verum nosse opereprecium est circa Thapsiæ usum, maximam differentiam esse recentis ad uetustiorem. Vis enim huius pharmaci post annum multum exoluitur, atq; amplius adhuc post duos annos, ausimq; ferè dicere inutilē penitus eius usum ad triennium progressæ,

Thlapsi ignotum nostro æuo etiam uoce est inquit Manardus, qui semel tantū sibi uisum putat licet addubitet. Cordus uerò coniectat esse Nasturcium album à nostris, weißgarten kreß dictum, à contusis uerò & quassatis folijs et seminibus thlaspi appellatum, θλάω enim frango & concutio, θλάσις uerò concußionem significat. Diosco. siquidem narsturcio simile facit semen eius & florem dicit habere subalbidum, nasciq; in semitis, foßis parietibus & uallis. Antonius Musa autem Brasauolus uerbis subscriptis eius meminit Longißima Thlaspios descriptio conuenit Bursæ pastori, ut omnino inclinaret animus Thlaspi esse Bursam pastoris.

Nasturcium album.

Bursa pastoris.

pastoris, si folia in summo incisuris diuisa habe- ret, habet autem incisuras in medio, & si semen disci forma insigniretur, quod rotundũ est et rubrũ si cum Nasturcio similitudinem aliquam possideret, & semen accerrimum esset. Hæc enim omnia Thlaspi insunt. Nonnunquàm Thlaspis effigiem Vincetoxico comparaui. Sed uincetoxico non insunt folia digitali longitudine, nec in summo incisuris diuisa, nec in terram uersa nec pinguia: imò ariditatem præ se ferre uidentur, nec semen est disci figura

Thymbra proprie Cunila rustica dicitur, atq; est fortassis ea quæ hodie appellatur Serpillũ syluestre, Germanis kundel & quendel uocatum, corrupto uidelicet à cunila nomine, quo nomine Satureia hortulana quoq; nuncupatur.

Tilia Dioscoridis Cordo uidetur esse Ligustrum, quia simili pingatur historia. Sed apud Theophrastum Tilia describitur, cuius materia fabricæ expetitur, & ex cortice funes texuntur, quæ magis apparet esse Tilia nostras. Vide plura li 2 In Recentibus.

Tineariam uide in Amarantho.

Tithymali species Characias superius habetur in Catapucia.

Tordylon

Tordylon *quære in Gorgylo.*

Tormentillã *in Pentaphyllo excußimus.*

Toxicum *quære in Aconito.*

Traganthum & Tragaganthũ *est recte loquendo Tragacantha apud Diosco. lib. 3. cap. 21. qui naturam gummi habere prodidit: propriè tamen gummi non est, quàmuis recentes gummi Tragaganth. appellent. Fit secundũ Dios. per radicis incisionem. At Theophrastus sponte emanare censet succum qui in lachrymam coalescit, qui succus etiam Tragacantha nuncupatur.*

Tragoriganum *qui uelit scire qualis sit herba seminet lini semen in cepa maceratum: nam inde succrescere Tragoriganum scribunt autores.*

Tragopon *hirci barba à Diosco. lib. 2. cap. 132. describitur, & est olus syluestre barba petræ etiam appellata.*

Trifolium *quære in Oxytriphyllo.*

Tirchomanes *uidetur esse capillus Veneris uulgatus, cui nomen widertod fecimus, et habet easdem uires Adianto, proinde alterum pro altero recipere licebit. Adianton autem Polytrichon & Callitrichon nihil re distant, nominibus uerò Adianti capillos multos & pulchros portendunt.*

Tripolium *quære in Esula*

Triticum

Triticum est dictum in Siligine.

Trixago habita est in Chamedry.

Tunici herba à quibusdam Polemonium Dioscoridis esse censetur, ab alijs putantur dicti Garyophylli flores.

Turbith excußimus in Esula.

Tussilago est Vngula nostra. Vide plura supra in Bechio.

Tutia est Græcorum pompholyx, cuius pars craßior est Græcorum spodium. Manardus.

Typha Dioscoridis herba palustris, quæ Germanice Moskolben & narrenkolben, id est, cestus moriens appellatur. Sed apud Plinium, Galenum & Theophrastum typha frumenti genus esse uidetur, quam hodie uulgo siliginem appellant.

V

VAciniũ require superius in Hyacintho.

Valerianam expediuimus in Phu.

Veratrum nigrum folia habet platano seu incipienti Betæ, imò & lauro similia, racemosos uerò, & in candido purpurascentes flores. Hæc dicta non reperiuntur in illa uulgata radice, quam Germani, Christ wurtz, id est, Christianã radicem uocant. Quam tamen pleriq; elleboron nigrum esse adscuerant, fortaßis ideò quod obscurus ille foliorum

rum uiror & scabra asperitas atq; ipsa radicum gracilitas nigredoq́; & quasi ex ceposo capite exiens multitudo imò & purgatoria uis à ueratro nigro non abludit. Vide plura lib. 2. de recentibus.

Verbenę atq; erratorum circa hanc meminit Euricius Cordus, quæ huc libuit adscribere nequaquàm carpendi studio, sed potißimum recte monendi gratia, ne qui alicubi errent incautos secum in errores trahant, inquit autē Verbenacam neutram apud Brunfelsium recte monstrari suspicor, si quæq; ad historiam suam referatur. Non enim tam lata & eo modo serrata prioris, id est, rectæ Verbenacæ folia hic uideo, ut huic Gallinacea crista: sic enim Verbenaca etiam dicitur: appellari uel debeat uel poßit. Nec memini an unquā in aquosis eā locis nasci, uel aliquā cū colūbis, unde Peristerionis uel Colūbinæ nomē: amicitiā habere cōpererim. Præterea dodrantē ter superat. Male iungit idē Brunfelsius hæc uerba Verbenacæ. Est similis Verbasco herba, quæ sæpe fallit pro ea capta folijs minus candidis cauliculis pluribus, flore luteo. Hac abiecta blactas in se contrahit, deòque Romæ Blactariam eam uocant. Quæ uerba male adscribit Otho Verbenacæ, quum seorsum aliam herbæ, nempe alterius Blattariæ historiam Blactar...

storiam constituant. Neq; bene depinxit Verbenã fœminam, quod luteos habere soleat, qui Supinæ Verbenacæ purpureo colore apud Dios. indicantur. Plinius lib. 25. cap. 9 multum honoris Verbenæ habitum à ueteribus prodit, adeò ut Hierobotanen, id est, sacram herbam appellauerint. Idem secat in marem & fœminam Diosco. in rectam & supinam, Recta mas est, supina fœmina, quia non assurgit sed quasi serpit & humilis est nonnulla ualet una ad quæ altera est inepta, & contra.

Verbascum quære in Phlomo.

Vermicularis uulgata non est frigidæ temperaturæ, sicut quibusdam uiris eruditis uisum est: Sed quum saporem acerrimum habeat natura id sua exigente calidæ facultatis herbulam prorsus dici oportet.

Vetonicam quære in Betonica.

Viola nigra uel purpurea apud Diosco. lib. 4. cap. 11. ἴον μέλαν Græce appellatur. Violæ autem quæ Græcis Leucoia dicuntur cum illis non debent confundi, quemadmodũ apud quosdam fieri adsolet. Leucoia siquidem temperiei sunt calidioris, nigræ uerò frigidioris. Poteris pro pleniori horum simplicium medicinarum cognitione, consulere quæ Io. Manardus scripsit 3. Episto. 4.

Vitex Græce Agnus et latine Castus appellatur

Viticella autem uidetur esse Bryonia, quam nonnulli male ab illa separant & distinguunt.

Vincam peruincam appellatam uolunt apud Dioscoridem Chamædaphnen, & latine Laureolam. Germanice, Ingryen.

Vince toxicum quære in Thlaspi.

Violam nigram & uiolam luteam amplius querito in Cheiri ἴον autem uiolam generali uoce uidentur adserere poëtæ ab Io, quæ à Ioue conuersa esse fingitur in uaccam, pro cuius pabulo Iouis amasij sui iussu in campo succreuerunt uiolæ, unde et Latini uiolam quasi uitulam appellant.

Virgam pastoris in labro Veneris explicauimus Dipsacos, semper sitiens & lauacrum Veneris appellatur. Continet enim intra folia semper aliquantũ aquæ. In huius Echini medio uermiculus nascitur ad quartanas febres utilis, teste Dio. lib. 3. cap. 11. debent autẽ aliquot uermiculi in aluta claudi, tum brachio colloue hominis ad alligari, & ita finiri has febres persuasum est. Est idẽ uermiculus præsentaneo insuper remedio Paranychio si uiuus circumligetur, quod malum corrupta uoce practici medici Panariciũ appellant. Et quia congenere morbo & medicamenta mouemur, inserendum hunc

p

dum huic loco uisum est insigne alterum pharmacum, quo nos intolerabilem cruciatum sedare adsueuimus, qui nonnunquã circa ungues digitorum pedis cuiuspiam dolore inæstimabili affligit, Paronychionq; digitorũ pedis censeri poterit. Accipito autem scobem croci Martis, sic Chymiste cuprum appellant, collige illam sub incude fabri eius metalli, misce ferè cum tantundem leuoris galangæ, adpone dolenti loco, & ilico ingentem illum & perforatum dolorem abstulisti. Qui uerò negant in Dipsaco uermiculum inueniri, uelut Marcellus Virgilius, conuincuntur experientia.

Paronichion

Viscum Romanum nullũ est ut Brasauolus declarat, sed pro Romano uisco apud Mesuah legendum est Romanum absynthium. Est autem quoddam uiscum, aquæ aptum, arte paratum ex melle uidelicet, aut oleo nucum, aut oleo oliuarum. quo utuntur aucupes ad irretiendas aues: uel tempore pluuioso, uel etiam ad pisces ipsos capiendos, fit in Syria ex Sebasten. Alterum uiscum, Soli aptum, uel Damascenum uocant, quod quidem necessario Damasco petendum: quoniam ex acinis uiridibus fruticis cuiusdam fit buxi folio super alias arbores nascentis. Ex his acinis uiscũ faciunt, quo aucupes

aucupes ad omnes aues capiendas utuntur, dein=ptis aquatilibus. Plinius libro 16. cap. ultimo, uiscum supra quercum, robur, ilicem, prunum syl=uestrem & terebinthum nasci scribit. Dioscorides addit malum & pirum. Brasauolus addit mespilum, cotoneum & salicem. Postea in Gallijs deprehendit supra omnes ferè arbores uiscum prouenire. Supra quercum tamen frequentius inuenitur. Quare per excellentiam uiscũ quercinum est uocatum. Fit etiã uiscum ex radicibus quibusdam maceratis, ut ex Hibisco, quam Maluam uiscum appellant. Vnde poëta dixit, Aues fallere Hibisco. Dicitur à Græcis ἰξὸσ, & nõ est uenenum quemadmodum recentiorum nonnulli putauerunt. Ἰξίασ autem cuiuspiam est ueneni grauis genus apud Dioscor. libro 6. cap. 21. Ligni uisci in operibus artis medendi longè plurimus est usus, prunum in epilepsia. Deinde sunt qui nouo nomine hoc appellent lignum sanctæ Crucis, ueluti Gentilis Fu=liginius & Iacobus de partibus. Habéntque sibi persuasum nõnulli optimum id esse periamma contra apoplexiam & paralysim, quo nomine illud nusquàm non circunferunt in collo aut zona oratoria. Vide præterea nonnulla apud Eras. Rot.

Ita Ouid. ait de arte inquit. Non auis utiliter uiscatis effugit alis.

Viscũ quercinum.

in prouerbio: Turdus ipse sibi malum cacat.

Vngula nostra quæ & asinina & caballina uocatur, est uera Tußilago. Vide Bechion.

Vngaricam herbam quære in Alcea.

Vrinalis herba est Linaria, nec debent distingui quasi binæ herbulæ essent, quum sit eadem & quæ Dios. Osyris appelletur.

Volubilis dicitur, quod se sepibus et plantis alijs inuoluat, appellatur etiam Cymbalaris & campanella Cyssampelos & Cissophyllos Viticularis conuoluulus. Germani winden uocant. Habet uirtutem expellendi urinas & uentositates, iecinoris & lienis obstructiones aperiendi, regioq; morbo medendi.

Vrticam mortuam quære in Galiopsi.

Vrticæ effectus usu & experientia atq; insuper medicorum scriptis sunt cognitißimi. Quorundam tamen oportebat meminiße, ut monstrauit mihi olim eruditus uir Adulphus Occo in omni medicina longè exercitatißimus, atq; Augustæ Vindelicorum medicus diligentißimus. Quorum illud est hyberno gelu sub dio uersantibus magnopere expetendum: Linimenti uidelicet inunctionē ex urtica, oleo oliuæ & sale fieri, quæ illata partes corporis tuetur ab atrocißimis frigoribus. Rursumq;

huius

huius usu & illitione hulcera quæ alioqui diuturna sunt ex gelu immodico contracta breui temporis intercapidine sanantur. Ad hæc si quis Empyios & pectore suppuratus aut Pleuriticos scrupulum unum de semine urticæ in puluerem redacto cum syrupo quopiam pectorali paulatim quasi lambendo digustauerit & pitißauerit, uiscosum, & tenacem humorem ualide et fœliciter educet exterminabitq;.

Vrsinum allium quære in Allio agresti.

Vuam Taminiam. Vide in Staphide agria.

Vuæ passæ hodie ex Corintho adferuntur optimæ exiguis acinis, quas Romanias uulgo nominant: quia & eodem nomine Peloponesi partem nominant. ubi Corinthus est. His tamen respondent ubicunq; paratæ, si pingues, si cum austeritate quadam dulces, si sint tenuis corticis. per se enim tales laudantur. Io. Manardus medicorum antesignamus li 11 Episto 2. Romania.

Vuulariam uel Bislinguam quære in Alexandrina lauro.

X

XAnthij, promptuarium Medicinarum omnium Aëtius li 11 ca 5 ita meminit. Deducunt inquiens ad renes ea quæ calculos confringunt

gunt peucedani radix, bryonia, apium, radicula. Cæterum lapides ipsos in renibus confringunt ac. atterunt. Sion, Adiantũ, radicis lauri, cortex &c. Item & lithospermon, tecolithon à liquefaciendo lapidem dictũ. Lappa quæ Philanthropos & Xanthium dicitur, semen quod in spinosis pilulis reperitur & lithospermio assimilatur. Obseruatum est autem quod quæcunq; plantæ, aculeata & uestibus inhærentia ferant semina, à Græcis nomine Aperines, à Latinis lappa indicentur. E quarũ est censum & Xanthium: siquidem minor illa lappa nostras in pilulis semen nigrum progignit, quod in leuorem redactum & cum paxillo uini ebibitum arenam propellit efficacissime, quod etiam facit magis si cum uino, quod ex uini fecibus ui ignis est excerptum, bibatur, quod ardens appellant uel distillatum.

Xyrin, quære in in Gladiolo.

Z

Spelta. ZEa est frumenti species quæ hodie à pluribus alijs populis Spelta appellatur, & à Germanis Tinckel. Ex qua Chondrus fiebat olim excorticata & in frusta contusa, Chondrumq; ita præparatum loco leguminis cum iusculo carnis; & nonnunquàm cum lacte uel etiam cum ui-

Chondrus.

no coctum manducabant. Coquebatur aliquando ex sola aqua, & sumebatur ex uino mulso, aut uino dulci siue astringente aliquando ex oleo & sale condiebatur affuso aceto, ut Galenus lib. 1. Alimentorum tradit. Quod uerò de Chondro apud Græcos, hoc de Alica apud Latinos scias esse sentiendum.

Zygis *habetur in Pulegio.*

Zoophthalmon *quære in Aizoo.*

Finis libri de uulgarium herbarum nomenclaturis, quibus hodie sunt instructæ officinæ aromatariæ, nominibus Græcis, Latinis & Barbaris.

LIBER SECVNDVS IOANNIS AGRICOLAE AMmonij, de Simplicibus Medicinis recentibus.

APpellamus itaq; medicinas Simplices recẽtes quæcunq; uel post Galeni seculum in usum sunt receptæ, quarum à Galeno uetustioribus medicis non est usquàm facta mentio: siue Græci siue Arabes, aut alij quicunq; populi illarum sibi adscripserint, inuentum. Quem nostrum laborem boni consulere dignentur optimi quiq;, & præsertim studiosi in medendi arte tyrones, quibus omnis nostra qualisqualis est sudat industria. Rem apprimè necessariam & cognitu iucundam rati, si eò dirigeremus conatum nostrũ, ut statim illi in promptu, et primo quasi prospectu adsequi possent, quæ ex uulgatoribus Simplicibus pharmacis à ueteribus ad nos inde, quasi per manus promanauerint: & quæ recentiores medici proprio marte inuenerint inuestigauerintq;. Præclara mihi semper eorũ uisa est sententia, qui censent ueteres non esse culpandos, neq; recentiores temerè criminandos, quod illi ignorauerint, & ij meminerint multa pharmaca. Quædam tempore in apricũ proferuntur, quæ antea

antea latuerunt & minime cognobilia fuerunt ullis seculis. Cæterum ne hoc nobis fraudi sit, in hoc libro liberius & latius sumus digreßi atq; euagati, adeò ut non solum præscriberemus nobis, quod in proximo libro ferè obseruauimus, tractationē herbarum. Verum etiam ad alia recens reperta, ad scilicet succos, decoctiones lapides, gummi, atq; ad nonnulla quæ ex animalibus ad usum medicum desumuntur deflexímus, quæcunq; recentius inuenta cognouimus. Quod si cui minus satisfecisse uidebimur, futuris annis si CHRISTVS uitam largietur, quicquid prætermisimus, diligenter resarciemus, neq; scribere ex professo rerum harum racemationes & paralipomena nos unquàm pudebit, modo id è re uestra fore studiosi adulescentes, quibuscunq; indicijs cognouerimus.

Bene Vale.

DE MEDICINIS RECENS INVENTIS LIBER

Secundus Ioannis Agricolæ Ammonij.

A



CETOSI syrupi compositi confectura habetur apud Mesueum & Auicennam lib. 5. per hæc uerba. Recipe aquæ fontis claræ libras 10. insere huic radicis fœniculi, apij, endiuiæ singularum uncias 3. Anisi, seminis fœniculi, apij, unius cuiusq; drach. 8. Seminis endiuiæ unciam semis. Decoquantur lento igni donec redigatur ad libras quinq;: deinde immitte sacchari boni libras tres & clarificetur: posthæc super affunde aceti bonam quantitatem. Auicenna tamē obmittit radicem endiuiæ quæ frigidæ est temperaturæ fortaßis non inepte. Siquidem hic syrupus altero nomine de duabus radicibus uocatur. Iuniorum itaq; inuentum est hæc potio. Apud Paulum nanq; Aëtium, Galenum & antiquiores, decoctiones reperiuntur quæ facultatibus respondent huic syrupo, ex radicibus apij & fœniculi; ex hyssopo, pulegio, origano, tragorigano,

thymo in materia crassa: siue aliquo huiusmodi uim habente humores extenuandi: ut habetur in commentarijs Galeni super aphoris. 24. lib. 1. Et in libro de Curatione per sanguinis mißionem.

Acetosum syrupum simplicem quære in oxymelite.

Affodillum quidam referunt ad Asphodelum Dioscoridis, quam Latini hastulam regiam uocant, & Germani Goldtwurtz uel Heydnisch lilgen. Sunt tamen qui non putent huic totam descriptionem competere. Vtuntur empirici huius radice in contusis particulis & cacoëthis ulceribus & pluribus alijs tumoribus, neq; suo penitus, destituuntur uoto.

Agreste syrupus neutiquàm posthabendus, ut pote qui egregie occurrat siti in magnis æstibus, inflammationi uentriculi bile grauati, neq; sanis sitientibus est ingratus. A. Musa in libro de Syrupis ita conficit. Accipe succi uuæ omphacinæ libras 12. & in uitreato uase ad consumptionem tertiæ partis super prunas, igne lento & cum facilitate decoque, postea percola & dimitte quoad clarificetur: & ex eo quod clarum est libras 7. recipe, & libras quinq; Iuleb clarificati & depurati, id est, sacchari clarificati

libras

libras quinq; adde, & coque donec inspissetur. Si uerò æstas fuerit, dimittatur in sole donec eius aquositas consumatur. Reperitur paulo aliter apud ueteres, qui cum saccharo carerent, melle usi sunt ita ut non sit magna differentia inter hunc syrupum & antiquorum Omphacomeli. Quod Paulus Aegineta li 7 ca 15 concinnare docet in hunc modum. Recipe succi omphaciæ, id est, uuæ immaturæ sextarios tres, mellis sextarium unum, & per 40 dies soli exponatur, aut igne decoquatur, uel tamdiu insoletur quò ad aquositas absumatur. Auicenna li 5 cum gariophyllis, & nonnulli cum myrobalanis condiendum putant syrupum de agresta. Describit hunc etiam Serapio, sed præ alijs Mesue uidetur imitandus, ut qui hunc syrupum paret Omphacomeliti antiquorum propinquissimum.

Omphacomeli

Aluminis duæ species non reperiuntur apud ueteres, tertia autem cognita fuit etiam antiquis. Prima continet Alumen catinæ, quia fit in catino quod est genus uasis, non enim sponte nascitur hoc uitrum purgatur et purius efficitur. Fit autem hoc modo. Herba est quam Arabes Cali uocant in littoribus maris sponte nascens, apud Gallos seminatur. Serapio cap. 257 Vsuem speciem esse dicit. Leonicenus in libro de morbo Gallico, Telephion, esse putat.

Cali

esse putat. A. Musa Anthyllidis genus potius esse suspicatur, quod Ibiga appellatur. Nam folia ferè similia Ibigæ, id est à nobis uocatæ Iuæ, habet. Hāc herbam exiccatam accipiunt & comburunt, deinde ex cinere faciunt lixinium, quod si aut ui ignis aut solis indurauerit, quum subtiliores partes exhalauerint, id sal alcali appellatur: cinis uerò ille induratus, alumen Catinum dicitur. Secundum genus alumen zucharinum appellant factitium est ex alumine liquido, aqua rosacea & albumine oui. Fingunt enim massas quasdam turbinatas in modum globorum zucchari, ex cuius forma zucharinum alumen appellant. Habetq; miram albedinem, ut exquisitum zacharum, quod uulgo finum uocamus, uideatur. Mulieres ad dealbandas & abstergendas facies eo utuntur. Tertium alumen plumæ, à Plinio & Diosc. alumen scissile & trichite dicitur, quoniam in capillamenta diuiditur. Fit etiam ex lapide & propterea dicitur Chalcite. Pruritum maxime causat, si inter humeros alicuius imponatur. Mulieres eo sibi fricant genas ut rubescant, qui rubor ad tertium usq; diem perdurat, adeò intensus, ut ignem habere in genis uideantur. Mulieres propterea florem lapidis appellant: uidetur enim quasi canus flos ex lapide exiens. Nec inepte pluma, uocatur,

Anthyllis.

Sal Alcali.

uocatur, quia si frangatur, capillamenta ueluti plu ma esse uidentur.

Alephanginarum specierum uocabu lum est Mauritanum, quo ipsi pulueres odoratos intelligunt, quibus cibaria condiuntur, ut sunt apud nos species ex gingibere, pipere, cinnamomo, ga- ryophyllis, mace, croco, ligno aloës, cardamomo et similibus.

Ambra nascitur in mari, ut inquit Serapio cap. 196 instar fungorũ in terra quumq; ex æstuat mare, & ab imò fundo excernit lapides ingen- tes, unà cum his etiam frustra Ambræ eliduntur. Potissimum hoc accidit in terris Zingi in occiden- te. Et existit optima ambra quæ illic in littoribus colligitur figura rotunda, coloris celestini, quæ ue- rò alba est instar oui Strubionis est deterior. Est tamẽ piscis quẽ Barbari appellãt Azel, qui deuo- rat Ambrã unde ipse strangulatur: quẽ uisum inha bitatores terræ Zingi funibus & uncis ferreis ad littus extrahunt: è cuius uentre eximitur ambra nõ præclara, sed ad spinalẽ medullã ambra reperitur pura et admodũ bona. Auicẽna indicat hanc esse ca lidã in gradu sccũdo et siccã in primo. Cerebrũ re- creat, cor cõfortat similiter et sensus omnes reficit, cõducibilis insigniter senioribus, et frigidæ tẽperiei

Adulterata

Adulterata cũ laudano & storace deprehenditur quãdo emollescit instar ceræ quũ tractatur inter digitos, uera aũt ambra nõ itẽ. Tria eius reperiuntur genera Vnũ rufum & pingue quod ceteris præfertur et Selachiticũ à loco Indiæ, ubi nascitur appellatur. Aliud subalbidũ quod Sechra dicitur. Tertium nigrum quod cæteris etiam ineptius. Appellatur à nonnullis Ambarũ. Ambrũ uero nominant succinũ Quare Aëtius li 16 ca 133. ubi tractat Suffumigiũ muscatum de Ambaro loquutus uideri potest, & non de Ambro, id est succino. Siquidem et Hermo. Barba. testatur Aëtium alicubi agnouisse ambram Cæteri constanter adserunt Ambram Neotericorum esse inuentum. Quanquàm neq; Aëtius in censu ueterum habetur.

Anacardus apud Diosc. aut alios Græcos non inuenitur, quanquàm Græco nomine insignitus est, & à corde nomen sumpsit, cuius figuram imitatur. Arabibus etiã debemus quod hoc simplex in medicinam asciuimus. Progignitur in montibus Siciliæ, & in Apulia. Vulgus pediculum elephantis uocat, eò quod arbor ipsa quoq; hoc nomine sit appellata. Mel continetur in hoc fructu quod exulcerat, & adurit sanguinem reliquosq; humores: eradicat uerrucas: confert neruis refrigeratis,

paralysi & spasmocynico. Hinc illa nota Anacardina confectio apud Rasium in morbis frigidis. Venenis connumeratur per se interficitq;.

Angelica & Astrancia si non sunt radices panaces, quibus descriptione odore, succo & gummi respõdent: fortaßis ueteribus fuerunt ignotæ. Cæterum Angelicam in hoc genere fœminam, Astranciam autem marem uocant. Vide plura libro superiori in dictione Hipposelini.

Aquileia nobis dicta herba recens uidetur: non enim quicquam in ea quod Aegylopis historiam referat, conspicitur. Vide libro superiori in dictione Aegylops.

Asphodelum quære in Affodillo.

Asam quære in Nomenclaturis herbarum in Lasere & Laserpicio.

Asaro licet ueteres sint usi ad ciendam urinam & menses prouocandos, iuniores tamen ad soluendam aluum etiam uti docuerunt cum sero lactis & spica, uel cum hydromelite. Calidum indicatur in secundo ordine, & siccum in tertio. Decoquitur & in leuorem conteritur, contritum autem plus prouocat quàm soluit, trahitq; flauam bilem & pituitam è iuncturis quidem & articulis, & potißimum quæ facta est inde infusio. Adhæc obstructio in

ctioni iecinoris & lienis mire succurrit, illorumq; duriciei, hydropi & Icteri. Dosis in infusione à drach. 2 ad 4 usq;, in substantia à Drach. 1 ad drach 2. Belle item corrigit multa solutiua pharmaca, adeò ut uelocius penetrent, ad operandumq; ocyus se accingant.

B

BElzahard est antidotum contra uenenum epotum efficacißimum & prorsus diuinum. Siquidem probatißimus medicus Auenzoar li. 1. testatur se hoc uno medicatum esse, quendam qui perniciosißimum uenenum ingurgitauerat, quod quum biliosum esset, protinus uniuerso corpori auriginem induxerat. Dosis erat belzahardi trium granorum ordei unà cum uncijs quinq; aquæ cucurbitæ, quæ asciticiam & immensam caliditatem mitigare, & refrenare potis erat. Memoriæ ergo prodidit Plinius li 8. ca 32, quod ceruis cum serpente sit pugna ita ut inuestiget cauernas, nariumq; spiritu extrahant renitentes, et li 428 ca 9. Exitio serpentibus esse ceruos nemo ignorat, ut si quæ sunt extractas cauernis mandant. Quod innuit regius phropheta Dauid, Sicut ceruus, dicens, desiderat ad fontes aqurum, ita anima mea desiderat ad te etc. Nam postea quàm ceruus congressus est cum ser-

 pentibus

pentibus et carnem serpentinam deuorauit, siti correptus præsertim in prouincijs orientalibus ubi prægrandes reperiri constat: deinde proijcit se in pedes, ut stagnum aut flumen aliquod in quod sese immergat, quærat. Inde tamen natura ita disponente & retrahente, uelut Tantulus in medijs sitiens fluctibus, non bibit: nam statim concideret mortuus si quid aquæ degustaret. Erumpunt autem interim lachrymæ ex oculis quæ paulatim crassescunt coguntur & coagulantur atq; in castaneæ magnitudinem excrescunt. Quas postquàm ex aquis euasit ceruus, deciduas homines obseruant, colligunt & rem preciosissimam inter ceimelia merito reponunt. Nam hoc est illud Belzahard tantæ apud eos qui habent æstimationis, ut cuiuis ueneno uel medium unguem ostendant.

Bedeguar & Suchaba ingrediuntur compositiones quasdam uulgatas, illorum tamen inuestigatio diu pharmacopolas agitauit. Nam superioribus annis fructum syluestris rosæ, id est echinum illum qui in rosetis concrescit sumere consueuerunt & nunc etiam aliqui seruant. Alij carduum ipsum accipiunt, alij Rubum Et nunc carduum ipsum Benedictum uocatũ maior pars accipit, Serapio cap.
Acantha. 99 de simpliciũ medicamentorũ facultatibus, docet
Leuce.

Bedeguar

Bedeguar esse Dioscoridis Albam spinam, id est, ἄκανθαν λευκὴν, Sed λευκάκανθα aliud est: nempe frutex aculeatus, in sepibus & foueis proueniens habens flores albos & odoratos, aut genus Becardui aculeatum & quadratum, quod non est Bedeguar, licet Manardus id crediderit. Suchaba autem Serapionis est spina Aegyptia Dioscoridis quam aliqui Spinam Arabicam uocant, & non est arbor unde fit acacia sicut nonnulli opinantur. Est astringentis facultatis pariter & desiccantis. Profluuium mulieris radix eius iuuat, columellæ prodest, ulcera ad cicatricem ducit, Brasauolus, quia hæc herba apud nos haberi non potest, propterea sumendum insinuat pro ea, Bedeguar, quare has duas herbas idem esse arbitratur, & tantum solo, quo nascuntur differre, illud enim apud nos, hoc apud Arabes nascitur.

Leucacantha

Suchaa

Spina Arabica

Benedictam herbam quære in priore libro de Nomenclaturis herbarum in dictione Garyophyllata.

Ben album & Ben rubrum absoluimus in Nomēclaturis herbarū in dictione Myrobalani.

Bistortam fuere qui secundam speciem Catanances apud Dioscor. putarint, sed repugnant radix & folia. Quoniam Catanance radicem

paruam & folia oleæ figura & colore habet. Bistorta autem multo maiorem habet radicem, nigram & geniculatam, et folia figuram lapathi acuti, quæ ex uno latere quodammodo cœrulea sunt ex altero herbacea. Radicem adstringentem esse constat, propterea à recentioribus in menstruorum abundantia usurpatur. Alij minorē lappā, alij minorē Bardanā uocāt. Errant qui hanc radicē been rubrū putant. Neq; bistorta est tormentilla, quū illa folia rumicis, hæc uerò in septem partes distincta habeat. Quidam Astragalum esse existimarunt, sed erronee, quia radices, rami, & folia pugnant. Propterea hanc Bistortam antiquis incognitam fuisse censeo. Qui uerò Bistortam serpentariam putant, frigidum pro calido ponunt. A. Musa.

Blitum quære inferius in Spinachia.

Brunella è recentiorum herbarum numero uideri potest, uerno tempore germinans omnibus nota, Ardori linguæ et fauciū plurimū conducens.

Bursa pastoris, polygonia & sanguinalis herba apud Diosc. esse minime potest, quoniam descriptiones repugnant, quamuis & ipsa sanguinis fluxus egregie sistat. Efficacißime menses superfluos sistunt tum decoctū tum extillationis aqua eius si exhibeantur. Eius in sistendo tāta uis prædicatur

ut dum

ut dum manu tantum foueatur, credant nonnulli fluorem sanguinis narium compescere. Deprehendi facile potest herbam esse temperiei frigidæ. Vide plura libro superiore in Thlaspi.

Bucheidem, *inquit* A. *Musa, nos sedulo perquirentes inuenimus esse genus habens orchis simllitudinem in radice, cum humana palma, propterea ab herbarijs palma Christi nuncupatur, à qua palma modo quatuor, modo quinq;, modo sex radices prodeunt, ut digitos ferè imitari uideatur.* De *hoc autem* Orchi *palmam imitante nusquàm* Græci *aut* Plinius, Folia *quidem* Satyrionis *similia, præsertim primæ speciei, tamen non adeò crassa sunt, & punctis quibusdam ueluti stigmatibus decoratur.* Auicenna *lib. 2. cap. 208. appellat.* Digitum *citrinum.* Serapio *hallucinatur, qui ad incitandam* Venerem Italicas *mulieres ex lacte caprino radice illa uti prodit.* Quum Dioscor. *non* Italicas *sed* Thessalicas *mulieres, non radice hac, sed radice* Orchis *primæ speciei ad proritandam uenerem uti suffragetur.*

C

CAlamum *aromaticum quære in priore libro de* Nomenclaturis *in dictione* Acori.

Calœnum *uide in Sapa.*

Camphoram *Dioscorides, Plinius, Galenus & Paulus nusquàm descripserunt: nec Arabes diligenter arboris meminerunt, ex qua gummi uel potius medulla hæc quæ in intima eius parte reperitur, & camphora existit, eximitur. Gustus & odor calidam indicant, quanquàm nostrates frigidam censeant. Platearius succum herbæ esse commentus est, & inter insolandū desiccatū. Adulteratur per admixtionem uernicis, deprætenditur impostura, si nō facile friatur. Facile euanescit nisi diligenter adseruetur, eò quod ualde odora existit, proinde in marmoreo uase custodienda est. Prodest ad arcendam Veneream libidinem odorata: inspissat enim spiritus & corpus refrigerat, & salacitatem restinguit, quod uersiculo Leonino dicitur, camphora per nares castrat odore mares. Vsus tamē eius nimius accelerat canos, id quod experiuntur, quicunq; calamistratis crinibus iuuenes oblectantur, atq; calamistro camphorato utuntur. Ex camphora insuper aqua rosacea & fœniculi succo medicamentum abstergens maculas oculorum adornatur.*

Candum *syrupum uocant recentiores in quo zuccharum concreuit. Quod si parum mellis addatur zuccharo, hoc prohibet ne zuccharum in duritiem illam (quam uulgus Candum uocat)*

concrescat

concrescat, nisi longo tempore transacto. Similiter alterum hoc loco est addiscendum, quando syrupus usq; ad aquæ & humiditatis resolutionem decoquitur mucidus non fit. Causam require in An. Musæ libro de Syrupis.

Calendulæ aquam Brunsuicensis omnibus oculorum morbis conducere asserit, siue à calore sint, siue à frigore. Tollereq; dolores capitis omnes. Suffitum ex illius floribus siccis & accensis per uuluas receptũ, secundas morantes extrahere. Manardus. Cordus, Otho se ignorare fatentur, quæ hæc tandem sit. Quorũ primus Lysimachium eam esse aliquando suspicatum se dicit. Alibi tamẽ omnium mensium florem uulgo appellari tradit. Germani Ringelblůmen, id est, circularẽ florem uocant: uel à semicirculo quem semen refert, uel quod ad solem circulariter nutet. Lysimachium.

Carduus panis à nostris Eberwurtz appellata: aut est species Eryngij, aut est recens inuenta & ueteribus ignota. Plura tamen diximus libro superiore. Cardopatiam appellant mulomedici, & promittũt si peste infecto, aurei pondus ex puluere huius radicis tempestiue exhibeatur, cum aceto quidẽ, si morbus cũ calore cœperit: uel ex uino, si cum frigore correptus fuerit, efficax esse antidotũ. Cardopatia.

Carduum benedictum Genuensis sedum minus esse arbitratur: quare à Dioscoride sedum minus carduus, semperuiua appellatur. Idem sedum facit Senetionem & Trixaginis speciem omnia erronee. Quidam Carduum Benedictum Chamæleontis speciem fecerunt. Ego nondũ habeo quid certi dicam, A. Musa.

Carduus albus à nostris Fechdistel appellatus, quo nomine apud Dioscoridem uocetur, non constat. Recentiores Carduum Mariæ nominant. Prodest multum contra Erysipelata, contra sanguinem concretum & grumosum, Aqua cum semine contra punctiones laterum exhibetur. Iecur & lienem aperit & refrigerat.

Caryotæ non sunt palmulæ illæ Tamar Indi, licet recentiores ipsi id uoluerint, Her. Barb.

Cnicus. Carthamus Cnicus Græcis dictus à recentioribus reuocatus est ad soluendi uentris usum. Trahit enim pituitam tum uomitu tum secessu, pectus & pulmonem expurgat, & conducit morbis qui ex pituita oboriuntur ueluti cholica. Ne ergo uentriculo noceat additur anisum, galanga & mastiche uel simile. Ne uerò intestina obledat apponitur cardamomum, uel zinziber & sal gemmæ. Paulus de farcto eius iubet accipiendas esse drach.

10. carda

10. cardamomi drach. 1. unde fiunt pilulæ instar ciceris, quarum quinq; cient uentrem quantum satis est. Idem de farcto illius quod satis est iubet in lintheo ligatum, atq; in oxymelite suspensum decoqui, solutiuum bonum esse tradit. Ex sententia quoq; Galeni farctum eius in iure gallinarum cum aromaticis coquunt & propinant.

Capillo Veneris recentiores pro soluenda aluo uti didicerunt. Trahit enim flauam bilem, pituitam & humores crassos, qui radices egerunt in corpore, expurgat pectus & pulmones, mundificat sanguinem clarum reddens eius colorem, facilem facit anhelitum, uentriculum & iecur expurgat, dolores eorum sedat, obstructiones iecinoris & splenis reserat, potißimum infusio ipsius in aqua apij & endiuiæ, aut in aqua cicerum. Non egent rectificatione sed in purgando acceleratione tantũ, quæ demum ipsis acquiritur, si uiolæ addantur, caßia uulgata, & manna. Potißimum autem properat in soluendo si infundantur sero lactis.

Casiam uel Caßiam pharmacopolarum uide in Siliqua Inda, & libro superiore de Nomenclaturis in dictione Casia.

Centaurium maius confundit Mesueus

cum minore, ut testatur Manardus, & minus præfert, cum Galenus maius celebret, & minoris radix penitus dicatur inutilis, maioris in multis commendabilis. Porrò sicut Mesucus præfert minus maiori, ita per reliquum caput uidetur mihi magis effectus & operationes minoris describere quàm maioris. Neq; est non adnotandum cuius idem admonet, quod centaurium illud minus uideatur habere uires contrarias: curat nanq; uulnera, glutinat & cicatrice obducit. Confert sputioni sanguinis, quem cohibet, & particulam unde promanat conglutinat. Rursum uerò attestatione magnorum autorum, aperit uenas, & sanguinem irritat ad profluendum. Quæ omnia ita sunt accipienda. Centaurium cõstat ex partibus terreis: partim adustis unde conciliatur amaror, partim uerò non adustis communicantibus in natura aquea, unde causatur adstrictio. Particeps est insuper cuiuspiam dulcedinis propter partes in eo aëreas, quibus ratione ignearum partium accedit etiam nõnihil qualitatis acutæ. Amaritudo autem & adstrictio in eo dominantur, quæ ualent ad cogendum & consolidandum: quamobrem operationis primum specimen edunt qualitates eiuscemodi. Aequum est enim ut à prædominante proficiscatur actio. Quum uerò

excitatur

excitatur caliditas eius & qualitas acuta ex actione & agitatione in corpore longiori, irritatur operatio qualitatis acutæ & calidæ: unde recluduntur uenarum ostula, & consequitur sanguinis eruptio Recentiores ergo medici edocuerunt quibus rationibus centauriũ uentris solutioni accõmodari poßit Trahit enim pituitam crudã & flauam bilẽ, euellit autem humores inde ab articulis & iuncturis, neruos expurgando, & dolores ipsorum sedando, cõtusis musculis præsidium adferens cum pane, sale pauco et melle uel oleo emplastri modo appositum Tarde in actionem progreditur aßumptum per os Proinde cum hydromelite, oxymelite & pauxillo salis exhibetur, & accelerat operationem suam. Idem efficitur cum decocto ameos & sale gemmæ, & ne aperiat oscula uenarum aliquantum mastiches apponendum est. Dosin eius præscribit Mesuach à scropulo uno ad drach. 1. & dimidiam usq;. In decoctionibus uerò ab una uncia ad quatuor usq;.

Ceruinam medullam nouo experimento adducti huic loco appingendũ curauimus, quoniam tam admirandæ facultatis non reddidit nos certiores scriptorum quispiam. Proinde ascultate qui querulantes quotidie mulierculas admittitis, aures arrigite Ceruinã Medulla.

arrigite quæ mensium suppreßionem crebro experimini, efficax & præsentaneum auxilium apertis ulnis arripite. Huius Medullæ recipite drachmas duas aut tres muliérculæ ratione habita: inuoluite hanc sindone munda, & si libet de filio appendite & genitalibus inserite, Cura tamen adhibita ut reliqua satis respondeant, corporis uidelicet præparatione & habitus constitutione, uictu & ætate, & menstrui floris eruptio non ita multum postea protelabitur.

Carlina *herba non est Chamæleon albus.* *Chamæleon namq; albus & niger omnibus notißimæ sunt herbæ & ubiq; nascuntur. Sed præter hos duos, in Bononiensibus & Mutinensibus montibus Carlinam uidi. Aderat enim quidã papus, tanquàm cardui echinus latus, purpureus in summo, aculeatus undiq;, qui sine folijs è radice supra caulẽ exibat. Vnde herba noua Carlina erit, de qua nusquàm antiqui. Nescio tamen an folia duabus uel tribus Carlinis, quas uidi abrepta essent. Finguntq; herbarij, quia in medio tanquàm sagittæ uultus habere uidetur, Angelum de cœlo missum id fecisse sagitta tangens, ut Carolo Magno eam ostenderet, quia eius exercitum à pestilenti morbo liberaret. Musa Brasauolus.*

Caryo-

Caryophillon *quære libro primo de No menclaturis in dictione Garyophylli.*

Chalcitis, *ut inquit Manardus li. 18. Epist. 1. est uitriolum Romanum. Chalcanthum nanq; ut Galenus admonet, post longum tempus Chalcitis efficitur. Repetit idem Paulus Aegineta. lib. 7. ca. 3. Et quotidie deprehendimus partem exteriorem Chalcanthi, id est, uitrioli, dealbescere, & albedinem ad aliquam usq; craßitudinem transire, hoc est, Chalcitis ex Chalcantho facta. Antiquorum Misy est, quod hodie Vitriolum Romanum uocant quod tamen non Roma, sed ex Cypro ad nos conuehitur. Nam auri speciem habet ut Diosco. depingit, & durum est, & quum friatur, aureas scintillas mittit, & stellarum modo splendet. Colchatar autem Arabium nō est Chalcanthum, sed Chalcitis Antonio Musæ aliter uidetur, at nos Galeno consentimus, Chalcantū post longū tempus fieri Chalcitidem dicenti. fortaßis non absurde, ut qui omniū sæpißime in Medicamentorum compositionibus Chalcitide est usus. Proinde piaculi nobis loco sit, eum quid sit Chalcitis fateri, ignorauisse.* Chalcantū.

Chermes *à Mauris uocatur granum tinctorum, ex quo tingitur Scarlatum. Reperitur in Gallijs apud Montem Pessuli, Sed non est apud*

Diosco.

Dios. lib. 4, cap. 46. Granum tingendo est. De hoc pulchre consulerat Musa Brasa. in libro de Syrupis, quum inquit. Facillimum est habere Chermes, ideò ipsum habere cures, quod etiam uili precio assequeris: nempe Venetijs non expendes pro qualibet libra quatuor libras Venetas. Non est autem

Coccus. Coccus Chermes, quia Coccus est nostra uocata

Grana. Grana, quæ ex Cypro affertur, & in Italia etiam nascitur. Non erat apud antiquos in magno usu,

Chermes. apud quos inuenitur quidem, licet non sub hoc uocabulo Chermes, sed sub cocco. Dicit etiam in Italia esse Chermes, & in Apennino Regium lepidi uersus, se excauasse, sed, ut arbitratur tincturæ ineptum, quanquàm non est expertus. Scito Chermes ex herbarum radicibus sumi, & nõ esse semen quod extra terram herbis insit Frequenter autem excauauit, & granula circa radices collegit, quæ breui tempore in uermiculum transierunt. Aperitur enim semen, et parua quidẽ formica alata erumpit, quæ auolat, exterior cortex inanis relinquitur qui ad tincturam nihil ualet, & hic est cocci uermiculus, qui apud diuum Hieronymum repetitur, & in sacris literis legitur tinctura ex uermiculo, id est, re in uermiculum tendente, imò proprio uermiculi sanguine, in ea re quæ semen uidetur,

nel

uel paruum ouum inclusum. Prohibetur autem nè in uermiculos transeat, quũ ea semina statim à radice demuntur & aceto insperguntur, ut uelox illa generatio extinguatur. Quidam butyrum aut pinguedinem inijciunt quæ uermem extinguunt. Et sunt plures herbæ quarum radicibus inhæret. Chermes, sed una inter alias parua incisa multum, quæ Pimpinellæ folia imitatur, sunt tamen magis incisa. In Germania & in Polonia nascitur, præsertim iuxta Cracouiam, circa flumen Vistulam, & Poloni Chermes appellant Cleruicel: solo enim illo mense apud Polonos colligitur, qui eodem nomine uocatur. Et quod apud Polonos nascitur in perfectione excedit alia. Adnascitur radicibus trium herbarum apud Polonos. Vna est quam Auriculam muris appellant, licet non sit illa Dioscoridis. Secunda est Parietaria, & tertia sub siligine, quam Græci & Latini Olyzam uocant. Sed hanc non excauant, quia Maior est prouentus ex siligine quàm ex Chermes. Nonnulli autem recentiorum in compositionem Syrupi de corticibus Citri assumendã esse docuerunt setam tinctam in Chermes. Seducti sunt autẽ ꝓpter uocabuli æquiuocationẽ & polysemian. Nam quod Græci coccũ dicunt Arabes Chermes uel Chesmen appellant. Ideò ubi

Chermes

Chermes in compositionibus ponunt, coccus sumi debet. Deprehenditur hoc ex Serapione cap. 313. & Dioscoride lib. 4. cap. 46. Vbi uterq; autor Coccũ baphicen, id est, granum tinctorum surculoso nasci frutice testatur, cui grana lenticulæ ad hæreant &c. & hæc est grana uocata. Herba autẽ est ex qua nostrum Chermes ortum habet. Quum itaq; in Mauritanorum compositionibus Chermes aut setam in Chermes tinctam reperies, noli Charmesinum intelligere, sed infecturam in coccum, id est, in granam tinctorum appellatam, unde coccinea uestis apud antiquos. Hoc granum existimant corroborare, quod tamen apud idoneum autorem non inuenitur, sed tantũ astringere & uulneribus neruorum prodesse. Exterminandus est & alius error eorum qui granũ quod tingendo est ad prouocandos menses exhibent, cum plurimum supprimat, & doctißimus Brasauolus eius puluerem exhibet his mulieribus in quibus de abortu dubium est. Licet hoc granum sit rubrum & illi axioma non unde quaq; uerũ iactitent, Omnia rubra menses prouocare. Multa enim rubra inueniuntur quæ uim adstrictiuam habent. Nostrum autem Chermes quo floridum colorem quem Charmesinum uocamus fit, dubium est, quid sit apud antiquos. Et si apud

Coccus baphice.

Granum quod tingendo est.

apud antiquos reperiatur est id de quo Plinius lib. 24.cap.4. inquit. Est autem genus ex eo scilicet Cocco, in Attica ferè & Asia nascens, celerrime in uermiculum se mutans, quod ideò Scolecion uocant, improbantq́;. Si ergo apud antiquos nostrum Chermes sit, est Coccus Scolecion, quia ocyßime in uermiculum transit. Cocci itaq; tria genera reperiuntur apud præclaros autores. Coccus infectorius absolute qui nostra grana est. Coccus Scolecion, qui fortaßis est nostrum Chermes. Tertium est Coccus Ilicis, quem Plinius libro 16. cap.8. describit.

Cibetam odoratißimam rem post longam inquisitionē inuestigare nequiuimus. Vno tantum loco Itinerarij Ludouici Varcomannij reperi uerbum unum, quod ad institutum nostrum facere poßit. inquit enim Christianum quendam qui longo tempore Turcis infusorio bombardarum artificio inseruierat, & iam fugam adornauerat à Sumatra, quam insulam Cosmographi apud Ptolomeum Taprobanam dictam putant secum, si contigisset, euadere, inter alia asportaturum fuisse Cibetæ catum, aut Cibetæ felem. Vnde licet quasi longo interiecto spacio uidere me autumo Cibetam exudare ex animalculo quodam instar Gazellæ

zellæ uocatæ ex qua excerni moschum tradunt. De qua prodit Serapio ca. 185. & inquit. Gazellæ in regionibus conterminis Tumbasci & Seni reperiuntur, & in priori uescuntur Nardo & alijs odoriferis herbis. Præstantioribus autem Gazellis affingit cornua & caninos prælongos dentes, candidos, longitudinis dodrantalis, extrorsum prominulos ueluti solet ex apri rictu. Has aliquando ex insidijs excipiunt & folliculum amputant ab illis, in quibus moschum exuberat, quod grauem & iniucundum spirat odorem. Suspendunt itaq; in aëre donec fœtor ille expiret & moschus maturescat: id quod similiter immaturis decerptis ab arbore fructibus accidere uidemus. Longe nanq; præstantius est moschus qui ad maturitatem in suo folle peruenit, & tum demum resecatur: uel Gazella ipsa non sustinens pondus, aiunt autem esse sanguinem redundantem quem eò natura reponat, ubi ad saxum aliquod hanc uesiculam affricet cum pruritu & delectatione, inde uelut ex abscessu purulentus sanguis excedat, & solis ardore inibi postea exiccetur. Arabes reponunt ipsum calidum in secessu secundo siccum in tertio. Vires cordis & membrorum in-

sternorũ augere tradunt extrorsum & introrsum administratum. Exiccare præterea cerebri pituitam in sternutatorio exhibitum. Cum oleo de Cheyua peni inunctum ad uenerem facere. Fouebat quo tempore hæc scripsimus Gazellam uiuam illustrißimus & rerum arcanarum naturaliumq; inuestigator sitientißimus Otho Henricus inferioris superiorisq; Bauariæ Dux & Comes Palatinus Rheni, quam magnis impendijs assecutus potißimum uulgato zucchuro alere, cogitur. Cæterum hæc ipsa nec cornua nec dentes prominulos habens paulo excedit cati magnitudinem nigro & albo ferè colore ex omni parte conspicua.

Coccos paulo superius habetur in dictione Chermes.

Coton Latini Goßipiũ uocant lanam illam ex arboribus, non autem ab ouibus in usum petitam. Goßipion. Fructum huius præscribunt, qui uiderunt, eius eße quantitatis sicut castanea est: cuius cortice aperto grana, ut uocant, coti sub aspectum ueniunt. Nec præterijt Plinius qui lib. 19. cap. 1. ita tradit. Superior pars Aegypti in Arabiam uergens gignit fruticem quem aliqui Goßipion uocant. Plures Xylon, & ideò lina inde facta xylina. Paruulus

est, similemq; barbatæ nucis defert fructum, cuius in exteriore bombice lanugo netur, ne ulla sunt eis in candore molliciaúe præferenda. Vestes inde sacerdotibus Aegypti gratissimæ. Serapio capite 66. ita meminit. Indicarunt mihi quidam Medici de Chelbe quod Horon, id est, Bombax uel Coton nascatur apud ipsos in arboribus, quæ sunt adsimiles Antipersicis, & durant annos 20. Melius autem recens, & quo anno plantata est arbor ab eadem excipitur. Succus foliorum puerorum Diarrheis utilis est. Semen Coti tussi conducit & pectori. Rasius tribuit semini molliendi & calefaciendi facultatẽ, & quod genituræ semen augeat. Oleum de semine eius faciei Lenticulis medetur quas Græci φακοὺς appellant.

Cuscutam Manardus & Otho in 3. Tomo Androsacen adserunt. Nos in libro priore contrarium probauimus in Androsace.

Cubebas non esse Carpesium satis ostendimus libro priore de Nomenclaturis.

D

DArsisahan Arabes uocant quam Græci Aspalathon dicunt, & adnumeratur Aspalathos speciebus Sandalorum à Manardo. Cæterum ne quem hic labi contingat prohibebitur, si conside-

consideres frigidum esse Sandalum, calidam uerò Aspalathon.

Defrutum quære in Sapa.

Dens leonis uulgata herba quæ & synaw & vnser frawen mantel dicitur. Fortaßis è recentibus una existit, neq; enim conuenit ei descriptio Leontopodij apud Dios. Similis est pedi leonino, octo uel nouem serratas habens incisuras in folijs. Virtute insigni in conglutinandis uulneribus pollet, quo nomine, apud Chirurgos in magno usu habetur. Decoctum ipsius interna uulnera, rupturasq; consolidat.

Diamoron Nicolai in hunc modũ conficitur. Recipe Mororũ Celsi libram semis Mororum Bati libram unã, Mellis librã dimidiã Sapæ unc. 3. In uase æreo stanno circumlito suauiter decoque percola & in uase stanneo circumlito usui reserua. Vtile est in palati excoriationibus, in uuæ elõgatione, in ardore eius ingenti, ab initio Synanches. Mesuach euariat parum & ad omnes gutturis & columellæ abscessus, & ad omnẽ præfocationem ualere dicit. Recipit autem Succi Mororum dulcium Mororum de Sceni ana lib. unã simul cum dimidia. Rob & Mellis ana libram unam. Coquantur lente ad mellis spißitudinem & reserua. Et hoc est Dia-

moron Simplex. Pro cōpoſito autem adijciuntur, alumnus, Myrrhæ, Croci, Succi agreſtæ autē partes æquales. Ad quem modū Gal. lib. 6. de Cōpoſ. Medic. κατὰ τόπους docet nos puro ſucco uti debere Phlegmone incipiente. Poteſt enim ad ſeruari hic ſuccus melle mixtus, quia repellit. Aut aliud aſtringens addi poteſt, ut rhus, aut omphaciū, flores roſarū, roſæ ſiccæ, balauſtia, galla, thus, hypociſtis ſuccus lentiſci. Poſt principium ad concoquendum Myrrha & crocus adduntur. Et quia ſimul repellere & reſoluere indigemus, tunc plus mellis addi poteſt. Poſtq̃ coctio facta eſt inijce aliquod diſcutiēs ut nitrū, aphronitū, ſulphur, origanū, pulegiū uel thymū. Gal. autē ſuum Diamoron ita parabat. Recipe Mellis librā unam. Succi mororum rubi libras quinq;. Croci, Myrrhæ ana drachmā & dimidiam Omphacij drachmam. Paulus lib. 7. cap. 14. hoc Diamoron Galeni appellat cōpoſitum, & differt in ſimpliciū ponderibus nonnihil, ſic enim deſcribit Paulus. Recipe Mororum ſucci cotylas ſex coquas ad ſtrigmenti balneorū craſsitudinem, croci denar. 1. omphacij tantundem Myrrhæ denarios 2. Schiſti lapidis triobolū. Mellis cotylam unam, decoquito quo ad craſsitudinem induat. Simplex autē Diamoron deſcribit ibidem ex mororum ſucci ſextarijs tribus

Phlegmones initium Augmentū Declinatio.

tribus quibus antea decoctis ad consumptionē tertiæ partis inijcit mellis sextariū unum & denuo ad mellis spissitudinē decoquit. Vel aliter, secundū eundem Paulū. Recipe Succi mororū Batimorū, id est ex rubis nascentiū, quod primo adstrigentius est: propterea & Gal. uel ex moris Celsi uel rubi conficit, sed ex rubi moris magis laudat. Consilij esset, ut utraq; cōpositio haberetur ad manum: nam post primum secundo uterer. Si deinde uehementiori repercussione indigerem, repellentia ut Gal. facit adderem: quando resolutione opus erit resoluentia inijcies. Compositum tamen Diamoron Galeni magis placet quàm Pauli. Vide Antonium Musam in libro De Syrupis.

Distillationis aquarum ui caloris è simplicibus medicinis eliquatarum modus nondū tempore Galeni fuit inuentus. Vide libro superiore de Simplicium nomenclaturis in dictione Distillatio.

Doronicū à Græco nomen est, apud quos tamen non inuenitur, neq; apud Latinos illius est aliqua pertractatio Serapio cap. 335. Radices paruas describit albas interne flauas foris in magnitudine pollicis ad summum, calidū & siccum in tertio ordine. Conducibile est doloribus ex flatuosis & crassis humoribus factis, potissimum flatibus uteri.

Confert & morsibus uenenatorum ebibitum, & emplastri modo cum ficubus appositum. Confortat *cor & conducit remori eius, assumiturq; ad magnas cõfectiones, ut in* Electuariũ de Aromatibus.

Dracontio *utriq;* Diosc.lib.2. *plures uires attribuit, & nequaquã nullius momenti facultates.* Experti *sunt uerò qui nihil intentatum reliquerũt has radices etiam pro medicinis purgantibus exhiberi posse.* Et *quoniã acuta qualitate uentriculum & iecur debilius obledere solita est, et à proximis particulis humiditates ad se euelleret, propterea propinant cum rob aut melle passularum, & speciebus alephanginis, & mastichen uel coloneum addunt aut tragacantham.* Euacuat *autem pituitam subtilem & crassam mundificat, renes corroborat, ciere solet urinam, & stimulat* Venerem: *pulmones & pectus expurgat, asthma & tussim prohibet uiscidos humores eliminando.* Inter *reliqua uerò auxilia quæ inde fieri solita sunt duo potissimum amplectenda uidentur: quorũ primũ* Hamecho, *secundum* Hermeti *cuidam adscribitur.* Pri*mum habet radicis tritæ libras 2. rob libras 6.* Vel *aliter.* Mellis *& rob ana.lib. 3. piperis* Cinnamomi, *zinziberis, macis, garyophyllorum ana. drach 6. Cuius dosis est à drach 3. usq; ad drach. 6.*

Alterum

Alterum recipit aloës unc. 1. Colocynthidos drach. 8. radicum utriusq; Dracontij, Iridos, turbit, agarici, Serapini, myrobalanorum citrinorum, chebulorum, indorum ana sesquidrachmam, gingiberis, cinnamomi, mastiches, ellebori, euphorbij, asari, casiæ ligneæ, salis Indi, croci, castorei, apij, ligustici, seminis mezereon, stoëchades ana drach. 1. Scyllæ assæ drach. 2. & dimidiam, Scammonij drach. 2. contritissima fiant omnia & succo cucumeris asinini excipiantur, siccentur, & rursus eodem succo imbuantur addito pauxillo nucum oleo, post exiccentur & melle cui spuma ablata est, informetur. Non exhibeatur ante elapsos sex menses. Eius exhibitio est à drach. 1. ad 2. usq;. Hæc est Arabum confectio Hieræ luf. Sunt autem Hieræ quantũ depræhendimus fortissimæ ferè omnes excepta Galeni Hiera. Traditur ergo hæc Hermetis Hiera uiscosos humores trahere & crassos & tenues, è capite, neruis, uentriculo, articulis & toto corpore. Sedare insuper articulorum cruciatus, pariterq; renum & uteri muliebris.

E

EBur Recentioribus medicis non ita rarò experimentis nobilitatum est. Proinde paucis hoc loci significare studiosis uolui, quàm optatæ

ex ebore cõflata medicamina uotis respõdere uidi, quum, in omni Medicina uir exercitatißimus Adulphus Occo Augustanæ reipublicæ medicus eadem ægrotis administraret. Infundebat equidẽ scobem Eboris nunc in uino, nunc uerò in aqua aliqua aperiente. Huius potionis haustũ mediocrẽ uentriculo uacuo propinabat, & mirifice morbo regio ægrotantes curabat. Conducit hoc medicamẽ obstructionibus diuturnis egregie, & remouet insuper stomachi dolores ultra alia pharmaca, quæ in hunc usum comparantur. Item cum mulsa exhibetur cũ ualde insigni facultate in epilepsia. Vsus præterea ipsius in potu mulieres ad cõcipiendum fœtum aptißimas reddit. Quare tum per se tum alijs præclaris medicamentis ebur aptißime coniungitur. Persuaderiq́; & credi par est tam fastum & tantæ molis animal prouidam & sagacem naturam non nisi magnæ utilitati protulisse.

Epithymus noster antiquis Græcis in medendi usu non fuit. De qua re uide librum superiorem de Nomenclaturis herbarum. Neoterici etiam hunc in purgatiuum uentris uerterunt. Aiunt enim in educenda atra bile cuncta alia pharmaca superare, & quidem absq; molestia. Quod etiam consectaneũ est, ualida est eius operatio in Melancholia, epilep-

epilepsia, timore, uertigine, dolore capitis, tremore cordis, syncopa, si ab atribularijs humoribus initia habuerint. Confert item obstructioni lienis & renum, & morbis hypochondriorũ, quartanæ febri, cancro, nigris ulceribus, & elephantiasi. Per se tamen sitim procreat, & incendit calorẽ corporis, debiliterq; & tardius soluit. Quamobrẽ necessum est, ut dosis eius augeatur & myrobalani indi, aut ueratrum nigrum adiungatur, ut cum Hydromelite & pauxillo salis, aut cum decocto passularum & sale propinetur. Similiter uires eius exerit serũ caprini lactis. Sal gemmæ & sal indus uires eius augent. Citam autem operationem efficit, si admisceatur acutum quiddam, cuiusmodi est piper longum aut gingiber. Est etiam semper aliquid olei dulcium amygdalarum commiscendum, et passulæ acinis remotis. Nam inde leniendi effectus excrescit, intrositate quæ alioqui inde resultaret profligata. Cæterum non ignores quod exiguam decoctionẽ sustineat. Proportio exhibendi epithymi est in decoctione à drach. 5. ad 20. usq;, puluisculi aũt eius à drach. 3. usq; ad 7. Quod tamen eruditißimus uir Ioan. Manard. Epist. 1. nõ dabis, inquit, plusquàm 5. uel ad summũ 6. drach. & hoc paucis, superius de alio Epithymo intelligendum esse, docuimus.

Epaticam

Epaticam quære in Hepatica.

Esulæ facultatem uenenosam iudicauimus esse exponendam, quam nuper inuentis adiungendam statuimus, eò quod non probe constat quæ nam hæc fuerit ueteribus, sicut libro priore probauimus Deinde uerò quoniam & hac recentiores docuerunt uentres perpurgare: quo uulgus hominum, nisi & oculis & auribus cecutire malit, non quibusuis empiricis se credat, qui instar uacariorum medicorum hac radice & alijs nihilo salubrioribus, incautis imponunt; quos sæpe miserabiliter perdunt & occidunt. Id quod imprudenter & improbè designant, ubi esulam non ut decet simplicibus porrigunt Est enim calida & sicca ferè in tertio ordine, quanquàm lac illius calidius est, cuius substantia, ignea, acuta, terrea, incidere potens & exiccare infixam materiam, quam liquefacere solet, ad quæ & uenarum oscula tum aperit tum arrodit. Nocet ergo cordi, iocinori, & uentriculo, uenas corrodit similiter & uiscera, corpusq; ita accēdit ut paratū sit fieri febri obnoxium. Qui igitur nō uelit exēplo circulatorū et agyrtarū per esulam homines perdere, principe loco ei adiungere debet medicinas corroborātes cor, uentriculū et iecur. Secūdo nocumēto occurrunt quæ cōglutinant & cōsolidat

solidant ut Tragacanthum, bdelium, uiscositas elicita è psilio, portulace succus, coercent hæc etiam tertium incommodum. Quartum autem tollitur refrigerantibus rebus, & extinguentibus calorificam eius facultatē, ut si maceres in succo Taraxaconis, et endiuiæ et pauxillo aceti. Aut in succo portulace aut solani & aceto. Myrobalā quoq; nōnihil exitij detrahunt, similiter absynthium & aloë. Trahit autem pituitam fortiter, & aquam hydropicorum, humores atribilarios, ex iuncturis attrahit humores unum & dolores earum mitigat. Iocinori tamē obest, exiccat uniuersam compagem corporis & febrem accersit. Fuit tamen superioribus diebus medicus, qui nolebat usum esulæ prorsus omittere propter immodicam, et ut ipse putabat laude dignam euacuationē aquæ hydropicorū. Recipiebat itaq; radicis esulæ cortices medianos præparatos & elotos aqua feruenti, adiūgebat his radices Ari uerno tempore eruncatas & frigida lotas & rursum exiccatas partibus æqualibus, aut sumebat Ari minus quā Esulæ. Nōunq̄ assumpsit de hoc puluisculo partē unā, cinnamomi, masticbes ana partē dimidiam, zuchari ad duplum omnium, & exhibuit iuxta æstimationem. Dosis eius est à scrupulo uno, uel à duobus Caractis usq; ad septē iuxta Mesuah

sed

sed aut incedendum est suspenso gradu, aut omnino abijciendum lœtiferum medicamentum.

Eufragia *uidetur ueteribus ignota fuisse, quia nemini adhuc incertum* Dioscoridis *caput re lata apparet. Quum igitur nulla eius certa apud* Dioscoridē *descriptio, habeatur, nulla recta amussis, ad quam existimari merito poßit* Eufragia, *recentioribus nō immerito hanc licebit adiungere, herbam oculis modis omnibus accommodatißimā.*

Eupatorium *Recentiores docuerunt subductioni uentris inseruire: siquidem est partium subtilium, quæ incisiuam, abstergentem & mundificantem habent facultatem, habet etiam nonnihil partium terrestrium unde astringendo corroborat atq; à putredine præseruat.* Debiliter *soluit, attamen cum lactis sero accelerat operationem suam. Cholagogon, & phlegmagogon egregium, corroborans uentriculum, iecur et intestina.* Solenne *medicamentum præstat obstructionibus omnibus unà cū morbis inde profectis.* Diuturnisq; *febribus ad miraculū succurrit* Dosis *iuxta* Mesueū *est in decocto eius ab unc. 4 ad 6.* Pulueris *à drach 2 ad 3* Eius *uices ut succedanea gerere poßunt absynthij & æsari ana medietas ponderis.* Nostra *autem agrimonia quæ inditio uirorum clarißimorum indubie est,*

uerum

nerũ Eupatoriũ, si in uino rubro stiptico decoquatur, putredinẽ uulnerũ et ulcerũ abstergit, si ea leuãtur. Eadẽ cõtusa et uulneribus male agglutinatis super ligota denuo aperit. Vide plura in Hepatica.

F

Filipendulum quære in Nomenclaturis herbarum in dictione Oenanthe

Fragariam herbam siquis unà cum radice in uino decoquat, & potandum propinet Icterico, certißima medicina à morbo liberabit. Vinum præterea infusionis eius contra serpentum morsus experientia plurimorum efficax existit medicamentum.

Fumus terrę flauam bilem purgat & adustos humores, sanguinem purum & mundum facit. Medicina præclara utcunq; administretur: nã pulchre prodest morbis biliosis, atq; ijs qui ex sanguine adusto sunt causati, in quorum catalogo prurritus, scabies, lichen, serpigo, & elephas, corroborat uentriculum iecur & intestina & præclare obstructionibus succurrit. Exiguum est detrimentum quod inde speratur, tollit autẽ illud coccus, paßulæ eiectis nucleis, et mel earũ. Cæterũ ut uires eius per se debiliores, augeãtur efficacioresq; reddãtur myrobalani, Senæ folia et casei aqua abũde id præstãt.

Pondus

Pondus semel accipiendi fumi terræ Mesuah ita indicat, ut succi uncia dimidia ad 2. usq;, decocti ab uncijs 10. ad 15. & pulueris à drachmis tribus ad quinq; ascendi poßit. Quam rationem cunctam debemus medicis iunioribus.

G

GAryophyllus flos, & Garyophyllus Aromaticus libro priore de Nomenclaturis herbarum in dictione Garyophylli & Tunici herba absoluti sunt.

Gallorum & gallinarum iure purgare iuniores docuerunt: præter ea quæ tradidit Galenus, in hunc modum. Gallus uesci debet furfure, melle & pauco sale. Deinde probe fatigatus & obtruncatus & exenteratus sale adhibito in aqua quantum satis est decoqui debet donec absumantur partes duæ. Cui decocto adhibito turbit & cartamo uires inerunt pituitam purgandi. Cum polypodio autem atram bilem, similiter cũ epithymo. Et cum dauco, semine aneti flatus dispescit. Cum sale gemmæ, aneto & polypodio uentriculi, coli, iliaco, & renum doloribus medetur, & pariter doloribus articulorum. Cum hyssopo Asthma mitigat. Exhibetur autem sub mensura librarum duarum ad haustus aliquot.

Galanga

Galanga *radix ſurculoſa, geniculis ſcatens, ſubrubra, & in quoſdam nodos craßiores ex interuallis intorta, ſapore accerrimo, linguam uellicante, odore Cyperum quadamtenus imitante, unde nonnulli Cypricum Babylonicũ cognominauerũt.* Excalfacit in gradu tertio, concoctionem uentriculi iuuat, finit dolores eiuſdem, quos frigida cauſa concitauerit, ſpiritus digerit cocta ex uino. Cerebrum roborat naribus indita, os commendat iis quibus olet anhelitus. Ex ſucco plantaginis tremore cordis laborantibus datur. Cœliacis & colicis doloribus ex flatibus factis auxiliatur, & acidis ructibus ſubuenit.

Gazellam *quære in Cibeta.*

Glycyrhizan *eſſe quandam tenus recentiorum inuentum declarauimus libro priori de Nomenclaturis herbarum.*

Goſsipion *quære in Coto.*

Grana, *quære Chermes.*

Guaiaci *ligni tria ad nos hactenus genera peruenerunt. Primum quod Guaiacum uocant, denſius, grauius & craßius, interiore parte nigricantius, exteriore ſuppallida, & ueluti lineis quibuſdam ad fuſcum inclinantibus, in æque diſtantibus, per longum interſecta. Alterius ad albius magis*

uergit exterior pars, neq; est tam manifestis lineis distincta, nigrum tamen & ipsum colorem intrinsecus ostendit, sed minore orbe quàm præcedens. Tertium quod sanctum præcipue uocant, tam intrinsecus quàm extrinsecus albicantem colorē præ se fert, exilibusq́; ualde lineis eius distinguitur longitudo. Ex tribus hisce generibus primum prætulerim, quod indubie Hebenum esse Indicum puto. Sic Manardus sentit lib. 17. Epistola 3. Sunt tamen è recentioribus qui ueteres hoc lignum ignorasse affirment. Nam & Cosmographi eas partes ignorarunt, in quibus nascitur. Lusitani equidem primi nouis nauigationibus illuc accesserunt, potissimum enim inuenitur in insula quæ Corterati ab inuentore dicitur, & Hispaniola, quæ ab æquinoctiali parum distat. Arbor ipsa tota, ut testantur qui uiderunt, ramis exuberat, adeò ut undiq; & ex omni parte frondes proferat Habet & folia omnium minutissima colore admodum uiridi conspicua. Et in antiquiore ligno medulla interna nigrescit, quod uerò intra medullam & super eius cōtinetur, cœruleū magis indies euadit. Fructū producit in quantitate nucis ponticæ, coloris flaui, qui interne gerit acinū, exiguū uerò corticem externe. Fertur & tota arbor inflexa esse et nihil recti nec

Corterati. Hispaniola

in stipite

in stipite retinere, nec in ramis. Indi similem morbum habent, ut is est, qui morbus Gallicus uocatur, & pro recuperanda sanitate fructu illo uescuntur, et quibus fructus desunt, ligni decocto utuntur. Fructus euacuant & per uomitum & per uentrem, sed cito putrescunt & proinde efferri ad nos non possunt. Visi sunt idem præstare & nuclei, & fortaßis ualentius. Siquidẽ & urso experimenti gratia nonnunquàm dati, citam aluum, ut mirarentur spectatores, reddiderunt.

Gummi Arabicum à quibusdam Babylonicum, à nonnullis Sarracenicum dictum ab antiquis autoribus priuatim nominatum non reperitur. Serapio itaq; Gummi Arabicum ex arbore Acaciæ promanare scribit, quæ est Spina Aegyptia, cuius meminit Plinius lib. 13 cap. 11. Latine igitur hoc Gummi, Acaciæ gummi, uel gummi Aegyptiæ spinæ dici potest.

H

HEpaticam herbam recentiores suo inuento appellant, herbam quæ intra puteos, & humentes lapides nascitur, terræ inhærens, foramina habens instar oculorũ. Videri potest hanc herbã præsertim ex cõflictatione Nicolai Leoniceni & cuiusdã Pandolphi Collinutij, à recentioribus

hoc nomine ob id salutari, quoniam Ictericis succurrat, qui morbus ab Hepate originem trahat, licet non ad omnes morbos iocinoris conducat quemadmodũ Syluaticus Pandectarius prodidit. Cæterum hæc uerba non ita est recens ut antiquioribus fuerit incognita, licet alio nomine eandem insigniuerint. Lichen enim dicebatur, uel βρυὸν, id est, muscus: quoniam supra muscum nascitur, herba fistulosa, & dicitur Lichen, quoniam Impetiginem sanat, ut prolixe Leonicenus in libro de Morbo Gallico declarat.

Lichen.

Hebenum quære in Guaiaco.

Hepsema quære in Sapa.

Hydromalum uide in Pomorũ Syrupo.

Hydro rosatum uide in Rosato Syrupo.

Hyssopo iuniores pituitam euacuare docuerunt, & quanquàm soluit debiliter, cardamomo tamen adhibito & Iride, potentius purgat. Idem efficitur per eius decoctionem & per Mannam. Vigorem purgandi huic adijciunt etiam mel passulæ sine nucleis, itẽ & Scylla. Pituitam hoc pacto præparatum trahit, pectori & pulmonibus mire conducens. Membra enim spiritus purgat à crassa pituita, sputa uiscosa attenuans atq; ad excreandam disponens. Medetur & tussi eadem de causa

facta

fectæ, nec non & Epilepsiæ in qua peculiarem habet prærogatiuam syrupus Hyssopicus, atq; aliæ decoctiones huius herbæ.

I

Imperatoria herba ethologi & pseudomedici nonnulli utuntur, quæ tria habet folia, quorum medium in tres partes distinctum est: quæ è lateribus sunt in duas, ut medium folium coronam ferè imitari uideatur. Quam nusquàm apud antiquos, quod sciuerim, reperi. Contra quartanas ualere certum est, & ad eruendos partus & faciles reddendos experta. Cerebrum expurgat, et à superflua humiditate liberat, deprehenditur esse calida & sicca. Anto. Musa, in radicum examine. Nicolaus autem Leonicenus Imperatoriam Ligurum uerum Ligusticum esse existimauit: uerum nõ ignorandum est plures hoc nomine herbas apud uarias gentes circumferri.

Infusiones medicaminũ fiunt nõnunq̃ ut malicia alicuius medicamẽti simplicis exprimatur. Quãdoq; ut uires alicui medicamento condonentur. Quandoq; ut medicamentum lubricum efficiatur. Quandoq; ut uires simplicium in aquam recipiantur. De his quidem infusionum modis antiqui non meminerunt. Mesueus autẽ capitulo tertio summæ

secundæ in uniuersalibus Canonibus inquit. Nempe mezereon et alscebrã ex infusione in aceto acuitatis nonnihil amittunt. Turbit in recenti lacte maceratum uim lancinandi & conturbandi deponit. Idẽ autẽ medicamentũ turbit uidelicet elaterio infusum fortius euadit ad trahendam materiam à profundioribus partibus. Colocynthidi uerò Tragacanthæ gummi accommodandũ est ad lubricitatẽ conciliandã quò minus uentriculi plicaturis inhæreat, sed penetret, sedẽ quoq; et uesicã nõ offendat. Quo etiã nomine scammonia in oleũ uiolaceũ infunditur. Aloë infusa succis quibusdã, cõmunicat illis suã uirtutẽ. Infusionis autẽ utilitates sunt plurimæ. Prima ut uis medicaminis ad profundas permeet & perfringat partes, sicut aloës infusio in aquis specierũ alephanginarũ. Secũda ut obtundatur eius uiolẽtia, ut siligetur scammoniũ in linteolo et coquatur in lactice uel syrupo quopiã. Tertia ut uis medica transferatur in infusionẽ ipsam, quo etiã modo rheonbarbaricũ & myrobalanos infundi uidemus. Nonnunquã insuper nõ modo uires medicinæ infusio excipit, uerũ etiã nõnihil de substãtia eius retinet, quod liquido apparet in uocata Cassia & Tamar Indis.

Iris præter ea quæ Diosc. obiter adnotauit à nouis Medicis usurpatur ad purgandã crassã pituitã

cũ flaua bile cõmixta, similiter et aquã hydropicorũ Sacra autẽ est pulmonibus & pectori, unde leuiter materiã craßã, uiscosam & retinacẽ educit. Respicit etiã iecur cũ proxime sitis particulis, lienẽq; à quibus oppilationes aufert. Et quia uentriculo officit, cum hydromelite potatur & nardo. Aut cum lacte à caseo facto reliquo, melle, & mastiche paucula. Propinatur ad proportionẽ drachmarũ duarum ad sex usq;, ut Mesueus habet. Dioscorides autem inquit. Purgat craßa & biliosa pondere. drachmarum septem cum mulsa aquæ potæ.

Iuleb Græci recentes zulapon uocant, ut adnotauit. An. Musa in libro de Syrupis. Iuleb autem quasi succum uel ex succo appellant. Imò Iu apud barbaras quasdam nationes succum significat. Fortaßis ab initio Iolebum nomiuauerunt eò quod in eum uiola infundatur: ἴον nanq; uiolam appellant, & λείβω apud Græcos infundo significat: unde fieri potuit ἰολειβον Barbaris tamen quàm Græcis hæc uox est magis assueta. Differt, à Syrupo, quia Syrupus fortiorem decoctionem sustinet, Iuleb minus decoquitur. In multis Syrupis plura ponuntur, in Iuleb tantum unum.

K

KErmes exposuimus hoc libro in dictione Chermes

L

LAccam nonnunquã audiui reputari inter recentes medicinas, atq; inter eas potißimum quas Arabibus debemus. Cæterum collatis his quæ Serapion de Lacca & Dioscor. lib. 1. cap.
Canchamon. 23. de Canchamo scribunt, Canchamon esse Laccam Arabicam manifeste deprehendi. Vterq; enim lachrymam esse in Arabia nascentis arboris insinuat, quæ habeat aliquam Myrrhæ similitudinem, et quod uiroso in gustu odore sentiatur, ad odorem incendi. Vestes additis myrrha & styrace eiusdem fumo odorari. Item triobolari eius pondere cum aqua acetóue mulso aliquot diebus exhibito, pinguiores gracilescere. Prodesse lienosis, suspiriosis, comitialibus, Menses cum aqua mulsa trahere. Hebetibus oculis mederi, & eorum cicatrices celerrime exterere.

Lactis sero iuniores, ultra ea quæ à Galeno & Dioscoride sunt prodita, ad uarias euacuationes uti, docuerunt. Siquidem hoc Infusionum materia est, & absq; damno facile à nemine non ebibitur. Primas autẽ tribuunt caprino, alteras ouino, & est temperiei calidæ & siccæ ferè in gradu secundo. Extenuat itaq; uiribus suis, eluit, detergit natiua salsedine, obstructiones recludit, & absq;

ulla

ulla lancinatione cit uentrem. Quoniam soluit inua lide, mel sibi adiungi postulat: uires item suas fortius exercet ex accessione lupi salictarij & florum eius, quibus comitibus sanguinē mundificat. Si uerò flauam uis bilem euacuare & adustos humores, optatum adsequere si inseras myrobalanos, rhabar baricum, succum rosarum & uiolarum, tamar Indos & Siliquæ Aegyptiæ liquorē, uel flores herbæ fumariæ, similiter & semen eius. Si pituitam quæris elicere, in lactis sero myrobalanos chebulos excipe, uel hyssopū, Agaricū. Si atram bilem, Myrobalanos Indos, Epithymū, polypodium. Cum asaro uero & Iride citrinam aquā expellit. si obstructionibus mederi adniteris, adhibe taraxacon, endiuiā, cuscutam, arnoglossam, uolubilē nardū, rheonbarbarum, absynthiū, eupatoriū, asarū, fumum terræ, apium, fœniculū, amaras amygdalas, quatuor semina, scolopendriam. Celebrē aūt peculiariter reddit eius operationē nardus, nō igitur præteriri debet.

Leontopodion iam semel atq; iterum in superioribus declaratum est.

Leucacantham quære in Bedeguar.

Lilium conuallis quære in libro superiore, ubi de lilio eiuscemodi est pertractatum.

Limones hodie dicti fructus qui ad lauti-

ciem mensis expetuntur, à priscis nõ describuntur, uel sub nomine Citri comprehenduntur. De quo libro superiore in dictione Citri transegimus. Meminit Manardus lib. 15. Epist. 3.

Linaria nostras aut est Osyris apud Dioscoridem, aut est recentibus connumeranda.

Fraxini semen.

Lingua auis nunc dicta, res est quæ in fraxino, non in ulmo, ut quidam arbitrantur, reperitur. De qua nulla mentio apud antiquos, nedum ut facere ad Venerem scribatur. Linguam quidem anseris laudat in hac re, Plinius lib. 30. Si quid simile Arabs quispiam commentus est, inde deriuari potuit, quod Arabes de auis lingua scripserunt. Hanc linguã recentiores quidã uocant linguã passerinam.

Lumbrici terræ ad hæc quod neruorum uulneribus insigniter conferunt, uermes quoq; intestinorum in leuorem redacti, & in uino potati, expellunt. Icterum ualide medicantur uias obseratas aperiendo. Exhibetur puluisculus talis sub pondere drachmæ dimidiæ, aut scrupulorum duorum.

Lupi guttur hoc loci commemorandũ mihi uisum est, ob insignẽ experientiam, cuius cum insignite docto medico Adolpho Occone Augustanæ reipub. physico officiosißimo, paucißimi medici hactenus conscij fuere. Nam qui per hoc guttur

bibit

bibit in synancha, id est, angina certißima salute euadit. Cæterum ubi tantum inturgescere cœperit locus, ut tam cibus quàm aër permeare nequeat: uniuersalibus indicationibus satisfacito, scilicet uenæ sectionem & reuulsiuam & auersiuā cum euacuatiua præmittendo. Deinde robore uitali perseuerante, inter semicirculos cartilagineos & Sigmoides arteriæ asperæ uulnusculum ex transuerso nonnulli medici incidunt. Per id enim cor pro sui refrigeratione auram frigidam inspirat expulsis & emißis inde fuliginosis halitibus & fumosis.

M

MAcere apud Dios. lib. 1. ca. 95. Manar. & plurimi Neotericorū nucis myristicæ uocatæ superiorem corticē eße sunt arbitrati, qui uulgo in officinis dicitur Macis. Nux enim myristica corticē habet, ueluti tenellū iuglandis putamen, quo tegitur. Supra hunc corticem cortex alter uisitur, qui totam nucem nō tegit, sed ueluti cancellus per nucem discurrit, quàmuis in aliquibus sed raris, tegat, qui est subruffus, & hoc macis appellatur. Solus Ant. Musa in Corticū examine scrupulū lectorib. inijcit, q(uo)d Macer nō sit Macis. De macere nanq; p(ro)dit Dios. quū tamen de nuce Myristica nusq̄ sit loquutus. Et Pli. corticē esse radicis dicit, arboris eiusdē nominis. Adde Dios. ducere corticē Macis.

crassum. Constat autem Macim subtilem corticem esse. Præterea Diosco. uehementer in gustu astringere dicit, quod Galenus gustu multum acerbo fatetur, hoc in nostro mace non percipitur. Item Galenus siccũ in tertio, & in caliditate & frigiditate suum macerem æqualem facit. Constat autem nostrum Macim in gustu caliditatem quandam præ se ferre. Auicenna siquidem calidum & siccum in secundo Macim facit. Ex Malaca prouincia Indiæ potissimum aduehitur.

Manna ros est condensatus descendẽs in quibusdam locis super arbores, unde colligitur, & emoliendis diuitum uentribus accommodatur. Habent etiam Neapolitani reges in Calabria locũ, in quem singulis æstatibus descendit, & ab omnibus passim colligitur. Colligunturq; ibidem tria genera Mannæ. Vnũ supra folia, quod profectissimum est, à uulgo uocatum Manna de folio. Alterum genus pruno deterius est, quod de ligno colligitur, & de arborum caudice, quod Mannam ligni uel trunci uocant. Tertium genus in terram cadit, cæteris deterius, quod Manna terræ dicitur. Ex monte Libano Venetias in magna copia adfertur. Sed Ant. Musa unà cum alijs eruditis uiris Calabram Mannam præfert cæteris. Hermolaus Barbarus Dio-

sco-

sto. sub Elæomeli comprehendisse putat. Quum tamen Elæomeli ex arboribus sponte manet, ueluti oleum: manna uerò è cœlo, id est, aëre descendat, non ab arboribus. Mannam autem thuris non esse hanc Mannam uel pueri hodie norunt. quanquàm hoc imposuit Serapioni, qui mannam thuris cum manna illa roris confundit. Ex Orientalibus tamen & meridionalibus partibus alterum genus Mannæ portatur sicut mel liquidum, non granulosum sicut Manna quæ ex Oënotria affertur. Hæc est Manna Arabum Qui populus mannam granulosam Tereniabin uocat, rorem uidelicet in granula condensatum. Mannam autem apud se habent tanquàm liquorem melle densiorem, quæ miros effectus facit. Manna insuper non est Dios. Saccharũ, quod quidam uoluerunt, quoniam saccharũ in arundinibus concrescit modo salis: manna uerò supra omnes arbores descendit. Semel tantum ut inquit Manardus de manna Galenus tertio de Alimentorum facultatibus cap. de Melle aliquid tetigit. In æstate uidelicet super arborum herbarumq; folia mellis quàm plurimum repertum fuisse, ut gaudio exultantes rustici cantauerint. Iupiter mel pluit. Apud suos raro id accidere. In monte autẽ Libano, quotannis persæpe, adeò ut expansis super terram uel

Elæomeli. Tereniabin

leribus

leribus, mel à concußis arboribus decidens excipientes, olla ac fictilia plena referant, uocantq; ad roscidum mel aut aërium. Fortaßis autem non fuerit ineptum Manardum sequi quem in hac assertione sequitur etiam diligens Simplicium inuestigator Ioannes Rodericus Lusitanus. Manardus autem scribit Petro Crinito hæc uerba pro Coronide epistolæ suæ. Auerroi Cordubensi potius credendum esse arbitror, qui Mannam hanc inter ea reposuit, quæ post Galenum in usum uenerunt medicorum, nisi quis antiquitati fauens Mel syluestre ut Suidas, uel Mel roris ut Galenus uocatũ ab antiquis contendat. Meminit perpetua neceßitudine mihi cõiunctißimus Alexander Braßicanus in libro Symmictõ prouerbiorũ in adagio. Iupiter plue mel

Periclimenon.

Mater sylnia superius est descripta, ubi quod ad stomachum nostrum faciebat, adumbrauimus. Sed quia ex hoc tempore quo priora memoriæ prodidimus, uir quidam excellentis ingenij medicinæ uniuersæ expertißimus, nos admonuit sententiæ contrariæ, ut ueritas undecunq; poßit eruatur ex abditis in apricum. Est autem hæc eius sententia. Mater syluia non est Periclimenon, ut Euricius Cordus uir multæ eruditionis existimat. Qum Periclimenon frutex breuis sit, crassæ rotundæq;

radi=

radicis, foliorũ hederæ, Dioſcoride teſte. Mater= ſyluia uerò duorum triumúe uirorum altitudine in ſublime circa haſtas aut arbores ſe erigit circum= uoluitq́; , radicis admodum gracilis ac in longum protenſæ. Conficiturq́; ex ſucco eius nobile Cero= tum capitale eiuſdem nominis, quod miris laudibus Chirurgici medici extollunt.

Mellacium inferius quære in Sapa.

Mellis decocti proportionem ad reliquos ſuccos quibus commiſcetur, & quantum coquen= do conſumi debeat, ad ſententiã tum ueterum tum recentiorum medicorum in litera, S. inquirito, ubi de Succorum decoctionibus meminimus.

Mel roris uel mel aëris ſupra plantas di= citur à Galeno in lib. de alimentis, coagulari: & Plinius lib. 16 cap. 8. ſic ſcribit. Robora ferunt & uiſcum, & mella, ut autor eſt Heſiodus: conſtatq́; rores melleos è cœlo cadentes, nõ alijs magis inſi- ſtere frondibus. Confirmat Suidas, licet in nomine non conueniat, mel ſyluestre uocans Aut hoc itaq́; eſt Manna uulgata, aut Manna eſt è numero Re= centiorum medicaminum.

Miſy habemus in officinis noſtris, quod enim uitriolum Romanum appellant, antiquorum eſt Miſy. Nam auri ſpeciem habet, & durum eſt, &

quando friatur aureas scintillas mittit, & stellarũ modo splendet quas notas omnes habet Romanum uitriolum.

Miua Arabibus succum fructum significat, eo modo coctum ut in formam Sapæ uel Mellis deuenerit. Concoquit Miua cotoneorum malos succos, addita aqua fit potabilis sicut syrupus. Cuius hæc est compositio. Recipe Succi cydoniorum acetosorum libras o. Vini boni antiqui libras 10. Misce & cum facilitate coque, deinde cola, & residere permittas donec clarescat. Deinde adde boni mellis depurati libras sex. Iterum bulias spumam semper auferendo. Cui recentiores Moschi scropulum & gallæ duas addunt drachmas pro aromatizando, nec non & species alesanginas in panno sæpe stringendo & fricando inter decoquendum. Laudat tamen merito Antonius Musa illos pharmacopolas, qui Miuam simplicißimã parant ex cydoniorum succo, uino, melle uel zuccharo: quia multi ex zuccharo faciunt, & non ex melle quàmuis antiqui Græci Miuam ex melle conficerẽt quia zuccharum ignorabant. Pro Miua nanq; ueteres usos fuiße arbitror Hydromalo, quod Paulus lib. 7. cap. 15. in hunc modum fieri docet. Accipe succi malorum cydoniorum contusorum sextarios

2. Mellis

2. mellis sextario 3. Aquæ sextarios 6. Coquito despumas usq; ad tertias. Vbi pro uino, quod po= nit Mesuach, aquam Paulus posuit. Est hydromali eodem Paulo autore etiam alia confectura, quæ re cipit malorum cydoniorum concisorum purorum libras quinq;. In aquæ fontis sextarijs decem elixa tur donec omnia fiant unum corpus: postea refrige ratur & colatur. Expresso cremore, mala proij= ciuntur, aqua ad mensuram reuocata, ei postea quantitatem dimidiam mellis admisce, & rursum coque aßidue despumando, donec euanuerit pars octaua decoquendo. Plausibilior hæc esset composi tio ueterum, quos imitari quo ad possumus debe= mus semper. Prior autem descriptio calidiorem po tius quàm temperatam Miuam pollicetur.

Hydromalum.

Mori albi non meminere ueteres Theo= phrastus, Dioscorides, Plinius, Cato, Palladius, Cō lumella, causam uide libro superiore de Nomen- claturis Simpliciū medicaminum. Vtebantur enim nigro moro, & suos bombices isto pascebant, & si uermes nigro moro uescantur, sericum pul= chrius traditur fieri & splendidius. Solus Ouidius Naso lib. 4. Metamorphoseon de alba moro quan quàm fabulose uidetur aliquid cognouisse: ubi fabulam Pirami & Thysbes canit, Ouidij sen-

tentia uidetur, quod omnia Mora prius alba fuerint, deinde uerò ob Pirami & Thysbes sanguinem nigra effecta esse: nam ita inquit.

Arborei fœtus aspergine cædis in atram.
Vertuntur faciem, madefactaq; sanguine radix.
Purpureo tinxit pendentia Mora colore.

Deinde Thysbe Deos, ut arbor suæ cædis testis sit, & sicuti Pirami sanguine tincta erat, eodem modo sui ipsius sanguine tingatur, dicit itaq; Ouidius.

Vota tamen tetigere deos, tetigere parentes.
Nam color in pomo est ubi permaturuit ater.

Mororum medicamen Diamoron uocatum, ubi apud ueteres requirere poßis, indicauimus superius in Diamoro.

Moschi Paulus Aegineta & Aëtius lib. 12. cap. 46. in solutiuo quodam ex hermodactylis meminit. Antiqui uerò Hippocrates, Dioscorides, Galenus & Plinius nusquàm de eo loquuti sunt. Aëtius rursus libro 16. cap. 116. in compositionibus pluribus quas Moschatas appellat, eo utitur. Excussa sunt à nobis quædam superius in Cibeta. An. tamen Musa libro de Syrupis eius ita meminit. In Aphrica potißimum hæc animalia nascuntur

ſcuntur, quorum ſanguis aut ſanies potius Moſchus eſt. Animal ipſum in colore eſt ceruo ſimile Dorcade aut capreolo paulo maius, & nonnunquàm æquale, in figura capreolo ſimile, ungues multifidos habens ut Capreolus, agile ualde, & uelociſsime currens, quod incolæ Gazellam appellant. Nos capream uel Dorcadem peregrinam nuncupare poſſumus, quàmuis nonnulli uoluerint diuerſam animal à Gazella eſſe, id in quo naſcitur Moſchus in folliculo: nempe ſuperfluus ſanguis circa umbilici partes in hoc animali colligitur, qui ſanguis primo fœtet: deinde paulatim maturatur quoſque ad ſuppurationem perueniat, & magis ac magis continuo redolet. Naturali autem inſtinctu, quum huius abſceſſus maturitatem perſentiunt, lapidibus atq; arboribus tumorem confricant quò ad duram pellem extenuantes pius exeat, quod odoratiſsimum eſt: hoc incolæ colligunt, & eſt moſchus odoratiſsimus, qui ſponte fit, & ui ab animali non demitur. Prodit idem Muſa ſe moſchũ nigrum per mercatorem ex Cathai regione Scythiæ Aſiaticæ Venetias allatum uidiſſe, omnium odoratiſsimum, eò quod plurimum ibidem Nardus abundet. Perſectior

Gazella.

Dorcas peregrina.

enim Moschus effertur ex his regionibus in quibus Nardus & odoratæ herbæ magno prouentu nascuntur. Calidum & siccum constituunt in ordine & gradu secundo.

Mumiā quære libro superiori de Nomenclaturis in Pissasphalto. Quibus addendum censeo non ignorandum Mumiam Serapionis Picibitumen esse Dioscoridis, si autoris uerba, uires & locus in quo reperiatur conferantur inter se. Adolphus Occo uir eruditione solida præditus, atq; medicarum rerum cognitione longe peritißimus Guilielmi Placentini locum quendam super hac re nobis commonstrauit, quem transscribere placuit in præsentem tractationem, eò quod inter recentiores alijs multo rectius sapere uidetur. In suis equidem simplicibus pharmacis ita docet. Mumia habet uirtutē picis et Asphalti, est enim calida in ordine secūdo, est præterea stiptica & resolutiua. Confert abscessibus ex pituita obortis, opitulatur fracturis, rupturis, plagis atq; ex alto lapsibus factis. Valida est in Epilepsia et uertigine &c. Germani eam Dursenbluot, id est, gigantum sanguinē appellant. Neq; ita procul à ualle Oeni fluminis ad montes Seefeld post immodicos imbres colligitur. Puluisculi inde facti drachma dimidia cum uino epota

pulchre

pulchre euocat menses. Restitat omni corruptioni & putredini in tempore pestico: conducibilis admodum est hulceribus, obstructionibusq; quibusuis. Venenis aduersatur. Totius corporis lapsum ad temperamentum frigidum & humidū remouet. Cuius usus per se expetitur absq; coniuge medicina aut copulatur ipsa sulphuri uiuo & Mastichæ & cum aquæ uitæ cochleari uulgato exorbetur. Medetur eadem febri quartanæ si ante paroxysmi accessionem in potu exhibeatur &c.

Myrobalani ab antiquioribus nusquàm describuntur quemadmodū in Nomenclaturis simplicium medicinarum indicauimus. De quorū usu nemo melius aut præclarius ipso Mesueo prodit. In uarijs enim morbis sunt efficacissimi. Quorum sunt genera quinq;, quos A. Musa disticho sequenti complexus est.

Myrobalanorum species sunt quinq; bonorum.
Citrinus, Chebulus, Belliricus, Emblicus, Indus

E quibus Citrini purgant & trahunt bilem flauam, Chebuli pituitam, Nigri atram bilem. Emblici & Bellirici pituitam.

Myrtini syrupi compositi duæ extant apud pharmacopolas descriptiones, quarum prima recipit

cipit Myrtilorum drach, 20. rosarum rubrarum Sandalorũ rubrorum alborũ, Sumach ana drach. quindecim, balaustiarum, berberis Mespilorum ana drach. 1. Aquæ fontis libras 8 Buliant omnia ad consumptionem medietatis, postea coletur, & colaturæ adde uini granatorũ, succi cydoniorum ana, unc. 6. zucchari clarificati libras 3 Misce & decoque ad modũ syrupi. Altera descriptio parum differt à priore, et in eundẽ tendit finẽ. Recipit enim Granorũ myrti, carnium, cydoniorum, sumach ana unc. 1. Acaciæ, rosarum, spodij, hypocisthidos ana unc. 2. Mastiches drach. dimidiam. Buliant hæc omnia in libris tribus aquæ ad consumptionem tertiæ partis, deinde colentur, & colaturæ addantur zucchari clarificati libræ tres, & fiat syrupus. Hic est magis cõstrictiuus quã prior. Est & simplex Myrtinus syrupus, qui his perfectior est, quẽ Mesueus ita describit, & ut syrupum de acetositate Citri parare docuit. Recipit enim succi Myrtilorum libras 12. decoquuntur in uase uitreato lento igne ad consumptionem tertiæ partis, deinde colantur, dimittendo donec clarificetur. Accipiuntur ex eo quod clarum est libræ 7. & funduntur super illud zucchari clarificati libræ quinq;, & decoquuntur ad spißitudinem syrupi. Valet in affectibus pe-

Myrtinus syrupus Simplex.

ctoris

ctoris, ubi contra pugnantia fuerit, quia adsit fractura uenæ in pectore, & etiam exitu materiæ putridæ in uentriculo & in pectore existente indigeat. Tunc alij cōpositi syrupi Myrtini nihil ualent, sed hic simplex plurimum prodest, conuenit etiam ad tussim antiquam. uentriculū roborat, & omnia interna uiscera. Compositi uerò ad fluxus uentris magis proficiunt. Reperitur hic simplex Syrupus Myrtinus apud Paulū Aeginetam lib. 7. cap. 15. & ab ipso appellatur Myrtetū, sed ipse ex melle facit, quia zuccharū nesciebat, & differt parū ipsa Compositio, inquit enim: Myrtetum, hoc est ex myrtis cōpositionē facies, si succi myrtorū sextarios tres, mellis sextariū unum semper despumando ad consumptionē tertiæ partis decoxeris. Vtebantur hoc potissimū in aluo fluente. A. Musa in lib. de Syrup.

Myrtetum antiquiorum medicorum.

Myxa & myxaria Hermol. in Corollario testatur Sebesten uocata fuisse ob honorē Augusti Cæsaris, qui est σεβαστὸς, id est, honorabilis est dictus. Fuerūt aūt antiquis incōperta, ad extinguendam sitim & bilem reprimendam non inepta. Nascuntur in Syria in ingenti copia. Altero nomine dicta uidentur, quia Græci myxam appellant muci laginem. Est enim in Sebesten mucor quidam, & lentor mucosus, ex quo in Syria uiscum parant.

N

NAscaphti et Narcapthi meminimus in libro priori de Nomenclaturis Simplicium Medicaminum. Sed quoniam Ioannis Roderici Lusitani adnotationes in duos libros Dioscoridis nobis eruditus & eloquens uir Gercon Seylerus Augustanæ Rei pub. ex conducto medicus, amicus noster integerrimus serius communicauit: quædam uoluimus ex hoc autore transscribere, eò quod ex commercio Lusitanorum & Portugalensium Aromaton quorundam consequi potuit cognitionem, alijs procul ab his alibi degentibus negatam. Quẽadmodum & de Narcaptho prodit, dicens: Narcaphtum lignum corticosum ligni Aloës colore est, quod ex India non omnes nostræ Lusitaniæ, sed præcipui nobiles ob magnum precium tanquã rem nobilißimam ac iucundi odoris pro suffitu portant, quare non in omnibus officinis, sed Lusitaniæ, præcipuè, & harum instructioribus inuenitur, quod sub Aquilæ ligni nomine quærentibus monstrant. Quod uerò apud Plinium sit nondum quod scimus, inuenimus.

Lignum. Aquilæ.

Nucum Rob, Dianucum & Græce Diacaryon dictum à Mesueo componitur ad hanc formam. Recipe succi exteriorum corticum nucum in

diebus

diebus canicularibus libras 4. decoque decoctione una, deinde adde mellis libras 2 & decoque donec, & incrassetur & fiat instar mellis. Quo si in pueris uti uoles, nihil addendum censet. Vbi morbus initium habeat, opus erit admiscere adstringentia, ut rosas & balaustia. Si uerò in uigore sit morbus, crocum & myrrham admiscebis. In declinatione, uerò baurach & sal ammoniacum admiscenda ueniunt. Hoc medicamentum primus inuenit Galenus, ut testatur An. Musa in lib. de Syrupis. De quo consulendus est liber 6. de Compos. Medicã. κατὰ τόπους. capite 1. ubi se forte Alexandria in patriam redeuntem, hortulanum quendam è tonsillis laborantem hoc succo curasse scribit. Videtur tamen Mesue Alexandrum Trallianum imitatus fuisse. Nam & hic in mense Augusto nuces accipit, & exteriores cortices detrahit, quos in mortario contundit & exprimit magmate abiecto, succum mediocriter decoquit, & pauxillum mellis addit & deniq; ad mellis consistentiam elixat. Deinde addit ea quæ Mesue ad uerbum uidetur transscripsisse. inquit enim. Infantibus & mulieribus & in principijs sine aliquo addito esse exhibendum, in summo autem uigore addendam esse myrrham. In declinatione uerò sulphur & nitrum. An Principio

Diauncum Galeni inuentum.

tamen rosariũ & balaustiorũ nõ meminit. Paulus li. 7 ca 12 duplex Diacaryõ facit, Simplex quod ferè idẽ est cũ illo Alexandri et Mesue Cõpositum autẽ nihil aliud est quàm simplex, cui ea quæ à Mesue accepta sunt, addit, & compositum uocat. Et quod in morbi principio Paulus crocũ fortaßis propter rationẽ addendũ scribit, A. Musa arbitratur Paulũ hoc modo intelligendum esse Ab initio opus est uti simplici Dianuce: postea sequatur, et in uigore miscere oportet Croci & aluminis ana denariũ. 1. & in principio nõ ponatur. Vtendũ est hoc medicamẽto ubi à capite ad pectus et arteriam asperã materia acuta et subtilis defluit, quæ nõnũq̃ eodẽ die suffocat ægrũ, aut abceßũ facit qui breui strangulat.

Nux Indica Arabũ inuentũ est: quoniã Græcis incognita habetur Affertur ex orientalibus regionib. Venetias, cuius oleũ butiro bonitate respõdere traditũ est. Vtũtur ea potißimũ ad libidinẽ Venereã. Auicenna quoq; semẽ augere scriptũ reliquit.

Nucis uomicæ frutex similis est frutici nucis Methel, ut Serapio cõmemorat, Reperiuntur autẽ hi duo fructus nusquàm apud Græcos. Quare pro his gratiæ agendæ sunt Arabibus. Vomica igitur nux pro conciliando somno, pro uomitu irritando pro capiendis piscibus et auibus, et pro interficien dis

dis canibus summe ualet, si carnes deuorauerint pul uere huius nucis aspersas. Nux autẽ Methel, quã mandragoræ comparãt hactenus manet incognita.

Nucem moschatam quære in libro superiori de Nomenclaturis.

O

Omphacomeli quærito superius in Agresta.

Oxymelitos Hippo. Galen. et antiquiores meminerunt. Recentiores autẽ perperam Galen. 12 Methodi adducunt, dicẽtes Galen. ibidẽ de Syrupo Acetoso simplici tractare, quũ ibidẽ nõ de hoc syrupo, sed de Oxymelite disserat. Quia enim Galeni tempore zuccharum ignoratum adhuc erat, nõ potuit Galenus. Syrupo acetoso simplici uti, cuius cõfectura ex zucharo aqua fontis & aceto constat.

Oxos uox græca acetum significat. Quatuor autem sunt quæ in arte medica acetum recipiunt & ab hac uoce denominationem sumunt. Oxymeli simplex, Oxymeli compositum, Oxy zachara, & oxymeli scylliticum.

Oxymeli simplex potus antiquissimus est, quo & Hippocrates & Galenus usi sunt, pro expurgando iecinore & liene, pro incidenda materia crassa, glutinosa quæ multũ inhæret. Subtiliat enim

aperit,

aperit, incidit, abstergit. Hippoc. *lib. 3. de radic. in mor. acut. utilitates & noxas ponit huius syrupi. postremumq́; tradit his magis conferre, quibus amara bilis potius quàm atra abundat: quia* Acetum *atram bilem parit.* Notatq́; oxymeli *mulieribus quàm uiris obesse, quia uterum dolore cruciat.*

Secaniabin *Arabes Secaniabin uocant. Fit autē ex mellis boni*
Acetum mulsum. *partibus duabus, aceti boni parte una, aquæ fontis partibus quatuor.* Latini Acetum *mulsum appellant.* Paulus Aegineta *lib. 7. cap. 11. idem describit, sed plus aceti ponit.* Diuersas *compositiones habent* Dioscorides *lib. 4. &* Plinius *lib. 14. cap. 17. & rursum aliam habet Plinius idem lib. 23 cap. 2. Nam &* Gal *lib. 4. de Sanitate tuenda, docet quandoq; augendam aceti dosin, quandoq; aquam ei admiscendam, ita nimirū temperando, ut uinum.* Ergo *qui bibet si neq; de acore eius queritur, nec dulcedine, aßidue eo utatur, sin altero offenditur, adiecto quod desideratur rursus id coques.* Neq; *debet sub una quapiam mensura confici, sicuti neq; eodem modo temperatum uinum omnibus placere potest.*

Oxymeli *compositum fortaßis non est celebratum à ueteribus medicis, sed inuentum à iunioribus & propterea hic mandari literis dignum uisum est.* Recipit *autem iuxta* Mesuah. *Corticum radicum*

radicũ apij fœniculi ana unc. 2 Seminis anisi, apij, fœniculi ana unc. 1. Super tritas radices affunde aceti boni libras 10. aquæ libras 20. Post horas 24. coque ad consumptionem tertiæ partis, post cola, adde mellis quanta est medietas ipsius, coque temperate. Alij recipiunt Corticum radicum apij, fœniculi, petroselini ana unc. 2. brusci, asparagi. Seminum apij, fœniculi, ana unc. 1. Coque ut priorem compositionem. Valet ad omnia ad quæ simplex, sed uehementius, ad febres antiquas, bilem crassam, atq; pituitam attenuat, & omnes obstructiones præsertim uentriculi, iocinoris & lienis aperit, urinam mouet, calculosis prodest.

Oxymeli Scylliticon recentiorũ inuentum est. Quod iuxta Mesueũ accipit mellis despumati libras 3 Aceti Scyllitici libras 2. aquæ fontis libras quatuor. Simul coquantur leniter semper despumando ad perfectam formam Syrupi. Valet ad materiam ualde frigidam, glutinosam & tenacem, & in locis à quibus difficulter auellitur. Valet etiam ad uentriculi, capitis, & uiscerum ægritudines, ad uesicæ mollificationem, ad ructum acetosum. Quod uerò Paulus lib. 7. cap. 11. Oxymel scylliticum ponit Compositum dici debet, nec quicquam habet cum illo cõmune, et consilio Antonij Musæ medici Vide Galenum in consilio pueri Epileptici.

uere

uere eruditi, in tabernis in promptu conueniret ha-
bere. Quo, inquit, Paulus, uel ante prandiũ pro-
pinationis loco, uti debemus, uel prius cibum uelu-
ti in salsamento.

Acetũ autem Scylliticũ A. Mesue & Paulo
lib. 7. cap. 11. cõpositũ exigui aliquid habet discrimi
nis. Huc facit Dioscor. descriptio lib. 4. quanquã
& Paulus & Diosc. plurium aliorũ quoq; descri-
ptiones repetunt. Meminit insuper & Plin. lib. 23.
cap. 2. qui prodesse dicit acescentibus cibis, nam
gustatũ pœnam eam discutit. Prodest ieiune uomen
tibus, nam callũ fauciũ facit & stomachi. Odorem
oris tollit, gingiuas adstringit, dentes firmat, colo-
rem meliorẽ præstat. Tarditatẽ aurium gargari-
zatione purgat, & transitũ auditus aperit, oculo-
rum aciem exacuit, Comitialibus, melancholicis,
uertiginosis, uuluarũ strangulationibus, percußis,
præcipitatis, & ob id sanguine conglobato, neruis
infirmis, renum uitijs per quàm utile, cauendũ ex-
ulceratis. Vide plura apud Diosc. & Ant. Musam
in libro de Syrupis. Columella quoq; lib. 12. cap.
34. meminit eiusdem compositionis, nec nõ & Pal-
ladius in Iulio mense cap. 8. Itẽ Plin. lib. 20. cap. 9.
qui inter uires eius hoc mirũ dictu ponit, sed tanta
(inquit) uis est, ut auidius haustũ extinctæ animæ,

momento

momento aliquo speciē præbeat. Scias aūt, inquit, Ant. Musa, quemadmodū mulieres nostræ singulis annis oleū rosaceū parant, ut eo per totū annū utantur, quādo opus erit, ita antiquiori tempore quisq; Acetū Scylliticum pro usu domus cōficiebat. Sumebant aūt cyathū unū ad duos usq; simul exorbendo.

Oxysacchar Hermol Barbarus, Oxymel simplex esse putat, si cū zuccharo fiat & nō cum melle, respōdent enim res nomini. Sed alia est Oxyzachara apud medicos celebrata, quam Nicolaus Præpositus ita componit. Recipe zucchari libram 1 Succi malorum granatorum unc. S. Aceti unc. 4. Ponantur ad ignem in uase stanneo oblito, buliat spatula agitando donec ferè ad quantitatē zucchari redeat. Et zuccharum in una hac non clarificatur. Priscis fuit incognita proinde huc est adpicta. Veteres enim loco huius Oxymelite simplici utebantur, & maiori precij dispendio.

P

PAlmā Christi uide superius in Bucheidem.

Paralysis herbam libro priore de Nomenclaturis absoluimus in Clauium herba.

Perfoliata herba, fracta cōsolidat, ualet ad Enterocœlas. Vulgares herbarij perfoliatā, Germani uerò nō multū abludente nomine Durchwachß appellant

appellant. Appellatur ab alijs herba umbilicorum, quoniam prominentes puerorum umbilicos imposita curat & retro agit. Folia eius ferè saliuæ folijs similia sunt, per quorum unumquodq; medium caulis transmittitur natura.

Persea Non eleuo iudicium eruditi medici Gereonis Seyleri ægrotis præfecti in urbe Augusta Sueuorum, quo mecum olim docte contendere solitus erat super historia huius arboris, quoties eius incidebat mentio. Scopus illi unus erat, ut multis ex probatis scriptoribus collatis undiq; locis, eandem omnino arborem & Persicũ & Perseam adniteretur, adstruere. At postquàm eandem sententiam adserere deprehendi Ioannem Robertum Lusitanum iam amplius subscribere placet huic adsertioni, siue Persicã uidelicet dicas, siue Perseam nihil interesse, quum sit res omnino eadem. Hæc enim in Aethiopia potest esse lætalis, in Aegypto autem salubris, de qua in Hortulo suo Collumella tractauit. Et commentator Nicander, ubi de Phalangijs agit poëta, Persas ait lœtalem arborem habentes in Aegyptum misisse, credentes perituros ab ea multos, sed utilem contrario euentu illis profuisse, protulisse suauißima poma, qualia nunc uidentur. Testatur idem Galenus lib. 3. de Sympto. Causis

Persicus arbor.

causis ca 1 Diosc. quoq; tam persicam quàm Perseæ fructum stomacho accomodatum esse fatetur. Nec mirum si Galenus quandoq; de Persea seorsum considerauit et uenenosam apud Persas uidelicet significauit: quandoq; uero nõ ut de uenenosa, sed de ueneno carente arbore Persico disseruit.

Pes Columbinus apud antiquos non reperitur, neq; apud Diosc. Theophras. Plin. Galenum aut alterum ex uetustioribus. Quare Serapio errat quando Amomum Pedem Columbinum esse putauit: nam historia eius nullam cum pede columbi habet similitudinem. Syluaticus Anagyron Pedẽ columbi eße somniat, quũ tamen Anagyris folia nihil cũ Pede colũbino conueniant. Neq; cum Geranio quicquam habet cõmune propter foliorũ incisuras. Quare quæ binæ herbulæ à myropolis exhibentur maior una & minor altera, pedisq; columbini nomine insigniuntur, quoniã cũ hoc pede similitudinẽ habẽt uidetur eße inter recẽtiorũ inuẽta reponẽda. Amomum.

Phœnicobalanus Dioscoridis non est, Tamar indus quemadmodum sentit Manardus. Vide inferius in Tamar Indo.

Pimpinellam uide libro superiore de Nomenclaturis herbarũ in dictione Teucrij. Excellentißimus Manardus saxifragis hanc connumerat.

u Calculos

Calculos enim cõminuit, urinã suppreßã ciet, stranguriã soluit, et uenena peste infectorũ arcet à corde.

Piperitis Zinziberina à Germanis sua dialecto ferè appellatur, herba medio inter Rumicem & Sarracenicam seu Romanam mentam folio, eam Euricius Cordus autor Botanologici esse putat, quam Arnoldus Villanouanus in quodam Fori Iulij Campo tantum nasci dicit, piperinæ nomine, quod acri sapore sit. Et hanc accipiendam docet in quodam unguento loco Thapsiæ. Habetur eius nomenclaturæ herba in Bauaria, qua utuntur in acetarijs, quam ego aliquando Hiberidem esse putaui de qua superius transegimus. Cordus à se uisam esse testatur etiam in Heßia Catorum.

Podagram lini quæras in Cuscuta.

Pomorum syrupus qui ad cordis micationem & eius debilitatem describitur: Confortat enim & conducit ad syncopen & sublimem anhelitum: Neotericorum medicamentum est. Nam ueteres hunc nusquàm per omnia expreßerunt. Licet de facto ex pomorum succis, ut ostendit A. Musa, fuerint locuti. Nam Paulus li 7 ca 15 de Hydromalo loquẽs ex succo cydoniorũ facit, postea ad finẽ inquit, eße nõnullos, qui Hydromalum ex malis dulcibus similiter cõposuerint. Est autẽ compositio antiqua

Hydromalum

antiqua talis. Malorum concisorum purorũ libras quinq; in aquæ fontis sextarijs decem tantundem elixato, donec unum corpus reddatur: postea refrigerato, & colato, & proijce mala expresso cremore: aquam uerò metiens mellis quantitate dimidiam admisceto, & rursus aßidue despumando donec octaua pars euanescat decoque. Erat & alter modus ut Succi malorum dulcium mundorum confusorum sextarios duos coquebant despumando usq; ad tertias, omniaq; simul una uice miscebant. Syrupus de pomis præstabilior fortaßis existit quia um zuccharo absoluitur, quàm ipsum Hydromalon quod mel recipit. Quare rectius succedet si pro melle zaccharum reposueris. Et si hanc Pauli mensuram sequaris, et ex zucchаro parabis, aptiorem Syrupum pomorum inuenies.

Portentilla ambigitur quomodo apud ueteres uocetur. Quia uerò anseribus uoluptati est à Germanis, Genserich appellatur. Poni potest inter herbas oculares, siquidem puncturis oculorum prodest eorundemq; fluxionibus, necnõ & rubori illorũ & inuersis palpebris, si colluantur ea sæp us Consolidat recentia uulnera. Experimento præterea egregio didicimus huius succum unà cum pulueri sato Colchico uulgato Mariscis ani mederi.

Primulam Veris Otho uidetur in 3. Tomo adserere eam quã uulgo hermodactylũ & Germani, zeytlosz appellant. fortaßis nõ citra errorem.

Prunellam requiras in Brunellam.

Pyrola Germanis uocata wintergrün quod toto hyberno tempore uireat, folia eius pyro & betæ respõdent, unde non inepte syluestris beta dici potest. & si non claret, quinam à priscis uocata sit. Recentiores in tertio calfacientium & siccantium ordine collocant. Decoctum eius interna & externa uulnera sanat, medetur fistulis, & alijs malis ulceribus ex ea lotis.

R

RAbarbarum quære in Rhabarbaro.

Rauunculi quem Græci Batrachion uocant tria genera reperiuntur, Pharmacopolijs cognita sub nomine Pedis coruini, quæ exulcerandi & ignis modo urendi uim poßident. Brunfelsius hæc tria genera effigiata non Batrachio sed Coronopo attribuenda esse censet, quum tamen illorum quodlibet gustatum linguam exulceret non uero adstringat, quod Coronopus facit, ut testatur lib. 2. cap. 119 Dioscorides.

Rhabarbari historia uniuersa à nostræ ætatis medicinis de Medicina ipsa quàm optime meritis, ita

tis, ita est explanata ut nequaquàm ipsorum possimus damnare industriã. Proinde quibus displicent, quæ uiri multa in rebus medicis claritudine insigniti attulerunt in medium, ne ad liuoris suspicionem impingant, nodosa enodare pergant, & meliora inuenire adnitantur. Huc enim inclinat propemodum eruditorum animus, planê diuersum à nostro quod nunc in usu est, Rheonbarbaricum esse illud quod à Plinio & Diosc. describitur. Adduntq; Galeno & eo uetustioribus medicis prorsus incognitum fuisse. Vnius aũt Manardi uerba ex libro 6. Epist. 2. recitabimus, qui non falso inquit, Rheo adstrictoriam uim attribuerunt medici, licet Auerrois hoc sit calũniatus. Ipsum nanq; sicut pleraq; alia utraq; ui pollet, adstrictoria uidelicet & purgatoria. Ex Mesuei & Auerrois ac recentiorum omnium autoritate, ipsaq; experientia didicimus Rheonbarbarum inter medicinas bilem pituitamq; expurgantes esse per eximiũ, adeoq; ab his nocumẽtis quæ secũ reliqua cathartica afferre consueuerunt, immune, ut pueris, prægnantibus, cæterisq; imbecillioribus tuto exhibeatur. Esse autem iocinori congruentissimum ab omnibus asseritur. Communis usus medicorum habet, ut uel formetur in catapocia, uel cum aqua plantaginis in intestinorum difficultate,

uel deuolutis, apij, aut intybi, in febribus bibatur. Dioscor. febrientibus cum melicrato, insebrientibus cum œnomelite, phthisicis cum passo, stomachicis masticatum exhibet.

Ribes apud autores quid sit incertum est. De hoc enim apud Theophrastũ, Dioscoridẽ, Galenum, Oribasium, Paulum, Aëtium, Catonẽ, Varronem, Plinium, Palladiũ, & Columellam nihil habetur. Serapio cap. 24. Ribes tractans solos Arabes citat, & describit plantam esse quæ habeat capreolos recentes, rubros, ad uiriditatem tendentes, folia magna, lata, rotunda, uiridia, grana, quorum sapor sit dulcis, frigidam & siccam in 2. gradu: quoniam acetosa sit & stiptica. Licet Auicenna 3. gradum adsignet fortasis erronee. Quod autẽ nos Ribes uocamus & fouemus in hortis nostris Arabum Ribes esse nõ potest, quũ non habeat folia lata, magna, rotunda, uiridia, sed uocatũ apud nos Ribes folia non habet rotunda, nec multum uiridia, sed ad figuram foliorum uitis accedunt, & potius ribes nostrum inter uuas numerandũ est, quũ Rasius in Almansore Ribes inter fructus cõputet, & fructũ esse iudicauerit. Quidam tamẽ per capreolos racemos intelligunt apud Serapionẽ, ideò in hoc cum nostro uocato Ribe similitudinẽ habere uidetur. Genuensis
uerò

uerò Alhaui quendã Arabem citat, qui Ribes adſeſerit eſſe fructũ. Sed G. Placentinus nõ placet, quum Ribes inter herbas conſtituat. Nec conſtat apud antiquos quid ſit Ribes noſtrum uulgatũ. Sapor manifeſte oſtendit frigidũ & ſiccũ eſſe & uiribus & operatione ad idem ualere, ad quæ Damaſcenus Serapio enim habere dicit uires acetoſitatis citri & omphacij. Meſue uirtutẽ herbæ acetoſæ. Vnde pro Ribe citri ſucco, omphacio, ſucco herbæ acetoſæ, aut noſtro uocato Ribe uti poſſumus. Rob eius ualet ad ingentẽ calorẽ, & ſitim immenſam, ad incendentes febres, ad profluuium ex bile, Cardiacis ſuccurrit, uomitum ſiſtit, appetitum excitat, morbillos & uariolas ſanat, bilem extinguit, hæmorrhoides ſedat, ebrietati conuenit, in peſte plurimum ualet, uiſum acuit. Antonius Muſa in Syrupis.

Rob quid ſit, quæras inferius in Sapa.

Rodomeli Aëtij & Rodoſtacti Pauli, Hermolaus Barbarus idem eſſe putauit, cum tamẽ non ſit, licet & Rodoſtacti ſuccum roſarum & mel recipiat. Differentia autem eſt in pondere, Nam Aëtij Rhodomeli tres partes ſucci roſarum recipit & unam mellis. Sed Pauli Rhodoſtacti duas partes ſucci roſarum aſſumit, & unam mellis, libro enim 7. cap. 15. ita componit. Succi roſarum

unguibus detractis sextarios duos, mellis sextariũ unũ decoquito spumando donec pars quarta coctura euanescat. Habet ibidẽ aliã compositionẽ Rhœit appellatã, quũ inquit. Decoquito ad tertias succi rosarum sextarios tres mellis sextarios quinq; & est hæc descriptio cum prædictis affinis. Expediret autem succum rosarum in promptu habere potius in officinis, & cum usus efflagitat, modo hac modo illa compositione uti. In acutis febribus Rhodomeli pararem. Quum uentriculus roborandus esset & pituita excernenda Melle rosato Nicolai uterer. Rhodostacte uehementius est Rhodomelite, quia plus recipit mellis. Adhuc uehementius ad incidendum Rhœti Pauli est. Mel rosatum Nicolai tantum rosarum tempore, fieri potest Sed Pauli & Aetij compositiones, omni tempore parantur. Antonius Musa in libro de Syrupis.

Rhœti

Rosaceum mel Nicolai & Mesuei concinnari uidetur secundum recens inuentas descriptiones & non admodum idoneas. Dioscorides de Rhodomelite scribit lib. 5. sed quomodo fiat non docet. Aëtius autem li 5 cap. 137 Recipit succi rosarum, exectis unguibus partes tres, mellis partem unam, calido soli pluribus diebus exponit.

Si uero

Si uerò aër sit nubilus, mel rosatum cribro setaceo rariori excolari, & mitioribus carbonibus decoqui posse docet. Refrigerat & nonnihil mellis ratione abstergit. Habet & quid subamari & molliter acris, ideò ori confert feruenti defluxu laboranti, & uentriculo, ad quem humores acres & biliosi defluunt, post uomitum medetur, ad stomachum absque materia æstuantem & ad febricitantes uel in particularis accessionis uigore constitutos utiliter exhibetur. Sæpe nanq; in febri una tantum largior petio congruo tempore porrecta, ad solutionem morbi sufficit, procurato sudore ac citata aluo. Et præ cæteris cũctis potionibus mel rosaceum potentissimum est ad acutos humores per aluum ducendos. Preciosissima igitur res est mel rosaceum iuxta descriptionem tamen Aëtij potius quàm Nicolai. Nam apud Nicoleon copia mellis est maior quàm apud Aëtium, nec Aëtius folia ponit quæ Nicoleos addebat. Succi autem rosarum Aëtius plus assumit quàm mellis, quum in succo sint uires. Adde mel rosatum Nicolai ad potum ineptum esse nisi alicui aquæ misceatur, calefacit etiam nec febrientibus competeret. Aëtij uerò per se potabile est, & ad temperiem uergit & potius in frigiditatẽ transit & in acutis febribus propinatur

Cura febris.

Hydro rosatum.

pinatur ab Aëtio, Musa in libro de Syrupis.

Rosaceus syrupus ueteribus fuit incognitus, ut qui zuccharũ nõ habebant. Vsi sunt tamen potu ferè simili ex melle facto, ut extat apud Aeginetã li. 7. cap. 15. ubi Hydrorosatũ describit è rosarum detractis unguibus libris 4. conficiendum, aquæ sextarijs quinq; , mellis sextarijs duobus.

Hydrorosatu.

Rosarum item succo leniter euacuare uentrem posse inuentum est Recentiorum, id quod si resciscere cupis probè per Mesuach edocebere.

S

SAccharum uulgare quod zuccharũ uocant, non modo Galeno, sed & omnibus medicis eò uetustioribus, & nonnullis qui per multos annos eum sunt sequuti penitus fuit incognitum, ipsum minime præterituris, dum medicamenta et alimenta pertractant, si in eius noticiã peruenißent. Verũ nonnulli nec nominis quidẽ mentionem habent. Alij nominant quidẽ, non tamen uulgare hoc intelligunt, quod plantæ succus est: sed melleum rorem supra arundinis folia coglobatũ, à Manna uocata parum differentem: utrunq; enim sub Rosido melle uel Aërio (quod & syluestre nonnulli uocant) contineri. Vide Io. Manardum uera rei medicæ eruditione apprimè excultum lib. 15. Epist. 5.

Suffra-

Suffragatur An, Musa, nisi quod Galeni tempore zuccharum iam inuentum fuiße probat, quod forte Galenus ignorauerit, quoniam non ualde frequens erat. Marcus enim Varro Norbonensis hæc à se carmina scripta reliquit.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulci cui nequeant succo contendere mella.

Vixit autem Varro ante natum Christũ, Galenus uerò post natiuitatem Christi tempore Marci Antonij & Adriani Imperatorum Romanorum.

Sal Indus est Dios. Saccharum, non è genere salis quod cibis admiscetur, sed mellis roris uel aërij potius contra Leonicenum.

Sandalus è recentium caterua prodire creditur. Manardus suspicatur tantum nec uero asserit Aspalathum hunc esse apud ueteres. Refragantur alij, quia Sandalus arbor, Aspalathus arbuscula tantum est. Sandalus non est amarus, aspalathus amarescit. Sandalus ruber non est odoratus, quoniam luteus, solus sandalus est odoratus, sed Aspalathus est odoratus. Tria reperiuntur Sandalorum genera, est enim sandalus luteus, qui præstat reliquis, est ruber & albus quorum ruber præstantior est. In Calechutio

Aspalathus.

Sandalum rubrum Aspalathum putant falso.

integra

integras sandalorum syluas inuenerunt inuictißimi Portugalensium regum nauiculatores.

Sanicula ex solidaginum genere nō est: pentaphyllō, sed fuit antiquis fortaßis ignota. Vide libro priore in Nomenclaturis.

Sandalorum autem usum ut approbent quidam fuisse ueteribus congnitum sunt: qui in medium addicant librum Galeni de Secretis. Cæterum quum liber Secretorum notus sit & suppostititius, nemo confidat se quicquàm hoc loco dignum euincere posse.

Sapam hic interpretari uoluimus, propterea quod uox hæc nusquàm non in Medicorum græcorum obuia scriptis representatur. Fit igitur Sapa dupliciter, primo, musto ad tertiam mensuræ partem decocto. Secundo eodem ad dimidiam redacto quod Defrutum uocari tradit Plinius lib. 14. ca 9. Sapam tamen & syreon & hepsema uocat & hepsetum in Methodo. Licet Hepsema nonnunquàm idem Galenus simpliciter pro coctura & decoctione usurpet. Antonius Musa pro intelligendis libris medicinæ Arabicæ, cum in Arabum compositionibus Rob uel Robub inueniri dicit, Sapam intelligi oportere demonstrat. Rob enim huic Barbaricæ genti succum significat. Sapa autem identidem

Defrutum. Syreon. Hepsema. Rob.

tidem Græcis per excellentiam succum ualet, quia una excellentissima res est, quæ succum delectabilissimum facit. Vinum tamen Robub non est, quoniam ad rob requiritur quod sit succus defæcatus, & per solis aut ignis calorem inspissetur ad formam mellis, ut sine corruptione longo tempore seruari possit. Nonius Marcellus tradit suo tempore Sapam uocatam esse Mellacium, fortassis quia Mel recipiebat, uel quia loco mellis utebantur. Est insuper aliud genus, quod fit ex resolutione unius partis ex tribus & Calœnũ appellabatur, non Carenũ quasi tertia parte careat, ut tradunt etymologistæ, sed à Caleno oppido & Caleno monte, qui distat 24 milibus passuum à Capua urbe Campaniæ fertilissimæ. Quem locum quum inuiseret rerum præclararum inuestigator indefatigatus Antonius Musa, in Caleno monte nullos neq; ruderes neq; uestigia oppidi deprehendit. Vina autem Calena degustauit suauissima quidem, in quorum commendationem Horatius lib. 1 Oda. 2. Prelo, inquit, domitam Caleno Tu bibes uuam. Et Iuuenalis. Melle Calenũ porrectura uiro. Sapa igitur ex Caleno facta ob uini bonitatem solum indigebat resolutione unius partis ex tribus. Minus autem præclara uina indigent resolutione quatuor partium ex quinq;. Ve-

Sapa.

Mellacium

Calœnum.

Calenus mons.

Calena uina.

niunt

niunt etiam ex Caleno monte phalerna uina nigra dulcia, & spumantia.

Saxifraga herba quia communiter pro saxifraga utuntur medici ignota fuisse antiquis & recentioribus uidetur. Refert nanq; & Simon Genuensis quosdam recentiores medicos herbam unam pro saxifraga usurpare, & alios alteram.

Stoëbe. Phleos.

Scabiosam quidam putauerunt esse Stoëben Dios. lib. 4. cap. 13. Sed ex descriptione Plinij lib. 21. cap. 15. apparet Scabiosam non esse Stoëben quam & phleon nonnulli appellant. Lentorē enim hæc habet ut ad thoros conficiendos sit utilis, unde Stoëbe quasi thorus dicitur. Scabiosa autem lentore caret, sed apprime frangitur, nec ualet Stoëbe cōtra scabiem, nec habet astringendi uim sicut scabiosa, quæ uidetur ab antiquis non esse pertractata. Tribuunt ei recentiores quod pectus purget, pulmonem, abscessus rumpat, similiter & Carbunculum ad hæc & potatam euacuare pituitosos humores &c.

Scarlea herba latis, scrabis & grauiter spirantibus folijs antiquis Medicis fuit ignota.

Sebestē inuentū recentiorū quære in Myxis.

Secaniabin & squingibin apud Arabes Syrupum acetosum significant, non autem Oxymeli

meli quemadmodum falsi quidam erronee crediderunt & docuerunt.

Senam *quidam* Alypon *apud* Dios. *lib.* 4. *cap.* 173. *nonnulli* Empetron *eiusdem esse existimant, quod mox sequenti capite pertractatur.* Marcellus Delphinion *esse iudicat, quod certe caput, ut* Manar. *ostendit, in antiquißimis codicibus non habetur neq; apud* Galenũ *neq;* Paulũ *inuenitur.* Multis *tamen laudibus celebrata est & ideò* Sosandros *à quibusdã cognominatur, quod hoiẽm scilicet sospitet.* Melior *autem est* Sena *ex oriente q̃ ex* Liguria *aut* Apulia *allata: perfectior enim est, si non multum antiqua sit, quia quò recentior eò melior est* Sena. Mesueus *calidã in principio secundi gradus & siccam in primo ponit, uentriculũ autẽ offendere dicitur, quia partes quosdam habet flatuosas, quibus illi obest: quod facile amoueri potest si addas gingiberis aliquid. Si absq; gingibere huius decoctione utaris, statim in uentriculo tuo flatus excitabuntur* Cuius *dosis tritæ est drach.* 1 *decoctæ drach quinq; licet utraq; dosis tuto excedi possit, &* Vncia 1. *decocti mediocriter educit bilem utranq; & pituitam.* Ab *antiquis nusquàm descripta est : nam &* Auerrois *nouam herbam esse adstruit & priscis, ignotam.*

Serpentaria

Serpentaria nostras non est Dracontium, licet Dragantea corrupte dicatur, sed est altera Tormentillæ species quæ Bistorta appellatur.

Setam antiqui Sericum appellauerunt. Arabes autem hanc addiderunt quibusdam compositionibus medicamentorum, eò quod calida & sicca temperatè esset & cor cõfortari crederetur. Ant. Musa Setam non esse Sericũ probat, quia Sericum ex arbore depectitur apud Seres in Scythia extra Imaum montem, ut Plinius lib. 6. cap. 17. scribit. E cuius scriptis colligitur, supra arbores & arborum folia Sericum nasci, & à uermiculo non fieri. Ammianus Marcellinus lib. 23. adstipulatur Plinio, quum, inquit, quod apud Seres sunt syluæ sublucidæ, à quibus arborum fœtus aquarum aspergìnibus crebris, uelut quædam uellera mollientes ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesq; subtegmina conficiunt Sericum &c. Aduersatur Plinio. Volaterranus adductus quorundam scriptorum monumentis, quibus uidebatur quod apud Indos & Seres sint quidam in arboribus uermes, Bombyces appellati, qui Sericum conficiunt super arboribus. Sed longe decipiuntur qui ita sentiunt: nam Sericum uerè lanugo est super arborum folia concrescens. Nostra autem

autē Seta apud antiquos Bombix erat, Cuius idem Plinius lib. 11. cap. 23. meminit, In Co insula inuentum, quod propriè perlatum sit in Italiam, ex folijs arborum caducis natum: & hoc est, ex quo propriè nostra uocata Seta fit: & q̃uis ex cupreßi Terebinthi, fraxiniq; folijs nascatur & furfure pascerent, tamen inuentum est temporis processu morum maxime amare. Vehementius nigræ mori folia amat, & si hæc comederit elegantiorem setam & abundantiorem facit. Cōstat tamen posteriores Græcos nostram Setam etiam Sericum appellasse non quod à Seribus allata sit, sed quod Ser uermiculus illam conficiat. Constat & illud quod Seta sit sicca, & quia nutriuntur hi uermes mori folijs, quæ summopere amant, unde ex horum foliorum qualitate & setam esse putandum est. Quumq; opus Sericum totum ex moro sit Morus autem frigidam temperaturā habet, ideò & setam nostram frigidam esse censendum est. Non igitur cor confortare eā crediderim utcunq; sentiant Serapio & Auicenna. Nam ea cordi conferre uidētur, ut Galeno placet, quæ odorata sunt. Seta autem non solum odorata non est, sed fœtet, nisi ab alio odorem sumat: ideò à compositionibus quæ corroborare habent, potius arcerē quàm recipere noluerim A. Musa in li. de Syrupis.

Syreon quære in Sapa.

Siguurtz Germanis est quæ radix triumphalis, radix uictoriæ & tropheorum latine appellari posset. Abunde producitur in Suuoczijs alpibus. Cuius exacti uir iudicij Georgius Tansteterus medicus Regius apud ueteres nullā mentionē factā certo adserebat. Radix nonnunquā ferè dodrantē adsequitur longitudine, tota instar animalculi cuiuspiam hirsuta & hispida. Quam thoraci & epomidi adsuunt, qui quottidie ærifodinarum cuniculos perreptantes, lustrant, atq; ad stygiam paludē propemodū effodiendi argenti gratia penetrant & saxa perfringunt. Hac radice autem uelut amuleto muniti persuasum habent absq; periculo & uitæ detrimento ueluti uictores, ad infimas illas Pluti excecati subterraneas uenas tuto se ire et redire solere.

Siliquam Indam quære libro superiori in Caßia.

Sigillum Salomonis Germanis weißwurtz dictū recepti & fide digni autores non describunt Hermol tamen Barbarus adscrit hanc à Græcis Sphragida nominari A. qua ex ea distillata concretum sanguinem inter cutim & carnē discutit, si in ea pannus tinctus superponatur, faciei maculas si ex ea lauetur, tollit, neuosq; totius corporis delere potest.

Sphra

Sphragida *quære in Sigillo Salomonis.*

Spinachia *non est blitum ut quidam putant, sed à recentioribus inuenta herba apud Auicennam cap. 603. libri secundi, & fortaßis apud Serapionem Aspenach. Otho lib. 3. cap. 36. pro Lapatho hanc sumi posse, innuit. Nam quod ad medicinas attinet, nihil discriminis uideri. Nã pingui iure carnium excocta uentrem probe laxat, pectoris & pulmonum angustias leuat Et quibus spinæ dorsi dolent, his Spinachiam comestam, præsenti remedio esse.*

Stoëben *quære in Scabiosa.*

Succorum, *uini & mellis mensuram in syrupis & decoctionibus recentiores ferè desumpserunt à ueteribus. Nam si herbæ aridæ sint plerunq; octo aquæ libras affundunt, si autem uirides, septem: in 24. horis ferè libra una uel duæ à simplicibus illis absorbentur: deinde adeò bulire sinunt, donec tertia pars euanescat, ut expreßione facta 4. libræ decoctionis relinquantur: in quas libras quinq; puri mellis imponunt & iterum buliunt quò ad fuerit consumpta decoctio & ad formam syrupi redacta. Conueniunt autem cum ueteribus. Nam Paulus libro septimo, capite 15. in his quæ ex uino fiunt dicit mellis despumati* Nota.

sextarium

sextarium 1. ad uini sextarios 4. accipiunt & componũtur in cocta. In his uerò quæ ex succo & aqua fiunt (hæc autem ad nostrorũ Syruporũ naturam ferè accedunt) siquidẽ coquantur unam mellis partem ad tres accipito, liquore in coctione ad duas fermè partes consumpto. Re tamen uera nostri Syrupi æstate seruari non possent si succi aut decoctiones ad duas partes solum consumerentur, propterea hi recte agunt qui ad mellis ferè aut zucchari pondus, uel circa arctant.

Syruporum *enim seruandorum usus est inuentus, tum ut cõpositiones præsto sint, quando eis indigemus: tũ quia radices & herbæ omni tempore non habentur, tum quia compositiones ex mora quodammodo fermentantur. Syruporum itaq; mos antiquus non est.* Antiqui *enim in usu habuerunt oxymel, hydromel & phtisanam, nec in diluculo ꝓpinabant, ut nũc fit, sed in febriũ ardoribus pro siti sedanda, & ad aperiendum qualibet hora diei quum opus esset* Pro *concoctricibus autẽ potionibus exhibebãt* Melicraton *ex hyssopo, hydromel & exymel.* Dictus *est Syrupus ut* Manar *uult à* σύρω, *hoc est, traho &* ὄπω, *id est, succo. Studiose collegit* An. Musa *potiones quasdã ex bonis medicis quibus usi sunt ueteres, è quibus prima est*

quæ

quæ dicebatur Propoma, Aëtius ca.125. lib.13. potionē ex melle & uino confectā fuisse tradit. Apozema autē potio ex aqua per decoctionem fiebat, quā Trallianus li. ca.15 humores cōcoxit, similiter & ca.28 & ca.29. et scatet talibus cōcoctricibus potionibus totus Trallianus, licet alterius cōpositionis à nostris his uocatis syrupis. Quia uerò & hæc concoctionē iuuant quæ humores extenuāt, ex eo Galenus humores extenuat quos uult purgare melicreto ex hyssopo uel origano uel tragorigano uel thymo uel pulegio. Alibi aqua ordei, alibi uino aliquo facticio concoquebant, quibus omnibus syruporum uim pensabant.

Propoma. Apozema, defrutū interpretari potest & deferue factū.

Syrupum candum quære in Cando.

Syrupū de Agresta explicauimus in Agresta.

Syrupo Rosaceo similem potionem apud ueteres fuisse declarauimus in Rosato syrupo.

Succinum Gleßū à Germanis quibusdam appellatum, unde & Glessariam insulam dictam esse constat pluribus uerbis pertractandum nō censui Quum & error uulgatus quo lachrymam populi arboris succinū esse nōnulli scriptis memoriæ prodiderunt à doctis uiris iam explosus & extirpatus sit. Nam in Cadano uel Baltheo mari illud tantum colligitur & nusquàm alibi. Amirandæ

potius experientiæ admonendus fuerit candidus Lector, qua Succinum in pollinem redactum (quod Arabes Caraben appellare solent) inspersum rhagadibus dolorem & pruritum præsenti auxilio mitigare traditur. Album insuper in tremore cordis & Orthopnœa prodest in leuorē redactum & deglutitum. Confringit ad hæc lapidē in renibus conflatum in frustula, si potetur cum aqua extillata è raphano. Electrū autem flauū pueris pro amuleto appenditur contra incantationes, contra dissuriam bibitur & appenditur. De collo suspensum curat febrem, Medetur & hoc modo colli doloribus, sic Turcæ equinis alligant collis, ne uariarū & diuersarū aquarū usus detrimento sit equis. Fricatū attrahit stipulas. Multi attentarunt illud emollire & malaxare instar ceræ, sed nō successit. Cū oleo diutius fouet ignē q̄ ellychniū aliqđ. Albo plurimum utuntur mulieres ad promouendum partum. Musa probat Aëtiū succinum ignorasse. T

TAlchum, aut est recentiorum inuentum, aut est altera terra Samia apud Dioscoridem, quam crustæ similem dicit & densam, ut coticulam, quam Galenus non indigere lotione testatur. Vim astrictoriam habet, & nomine stellæ ab antiquis dicitur Aster Samius.

Ad

Ad Italos ex Germania affertur, supra montes præsertim post pluuias inuenitur, à longe splendescere uidetur ut stella, et ideò Stella terræ à nobis, & aster ab antiquis appellatur. Adstringit adeò, ut mihi gustare uolenti os corrugauerit. Vsus in medicina crematio & lotura etiam nunc est, potißimum ubi gypsum est, reperitur. Musa in examine terrarum. Aster Stella terræ.

Tamarindi sunt Dactyli Indiæ, quos fructus suo inuento nobis monstrauerunt Arabes, Græci nanq; horum nō meminerunt. Quidam appellant Thebaicas palmulas, hoc distant à Myrobalanis antiquorum, quod hi nucleis careant, illi uerò nucleos habeant. In tertio ferê siccantium & refrigerantium ordine collocant.

Tanacetum agreste quære in Portentilla.

Tarandulos barbara uoce Myropolæ appellant animalia quæ Germani Elend nominant. De quibus Matthæus Michauanus in descriptione Sarmatiarum ita prodit. Apud Moschos Bisontes sunt & Alces habentes crura prælonga absq; tamen articulationibus & iuncturis. Moschi appellant Lozzos, & Germani Hellend. Erasmus autē Stella in libro de Origine Borusthenorū siue Brussorum, Bisfelus, inquit, quadrupes habet barbam

ueluti capra, alioqui similis est boui per omnia, & est in Brußia quidem ferocißimus. Caligula Cæsar hos primus Romæ exhibuit in theatro, quos populus putauit esse tauros syluestres. Bisontes etiam illic sunt, sed non admodum multi nostro seculo, tauris omnino adsimiles & iubas habentes proxime cornua. Sunt ibidem equi agrestes, neq; à Græcis neq; à Latinis descripti penitus equis similes, nisi quod dorsa satis mollia habent, & ad insidendum inepta, neq; temerè cicurantur unquàm. Sunt autem edendo, nec sunt eorum carnes palatui insipidæ. Sunt ibidem Alcæ, non tamen ex asinorum agrestium genere: nam illi tantum in Aphrica & Asia reperiuntur. Alce autem quasi medium genus existit inter equos & ceruos, cornua habens quæ singulis annis amittit, timidum admodum, siquidem gregatim ob timiditatem incedunt. Vngulæ ipsius sunt in magna existimatione: suspensæ enim ita ut nudam cutem attingant Epilepsiam curant, & ab accesśione eius liberant hominem ubi etiam iam spumam ore solitus est reijcere. Aliud porrò animal in Scandinauia frequens cernitur Machlinum appellatum quod crurum iuncturis caret, nec humi se reclinare potest, sed arbori innititur ubi per placidam quietē & somnū requiescere parat,

Bisontes.

Equi syluestres.

Alce.

parat, ubi & uenatores transfigunt per eius uiscera ferrum. Sunt illic & nemora plena animalculorum quæ indigenæ Gaynos, Germani uerò Marder appellant, quæ sunt mustelæ syluestres, hactenus Stella. Plinius tamen lib.8. cap.15. uidetur de Alcis sentire cum Matthæo & non cum Stella, dicens: Natam in Scandinauia insula, nec unquàm uisam in hoc orbe, multis tamen narratam Alcen haud dißimilem bubus syluestribus, & nullo suffraginum flexu. Ideoq; non cubantem & accliuem arbori in somno, eaq; incisa ad insidias capi, aliâs uelocitatis memoratæ. Labrum ei superius prægrande, ob id retro graditur pascendo, ne in priora tendens inuoluatur. Addit etiam Septentrionem equos feros gignere, quanquàm nonnulli feros illos equos caput tantum & pedes cum equis communia habere dicant, cætera nequaquàm. Est prætere a aliud quoddam in Poloniæ uastißimis saltibus celebre, Renschieron ab incolis appellatum, nusquàm ab ullo autore descriptum, quod magnitudine exæquat ceruum, cornibus præarduis armatum, quorum utrunq; in fastigio tridentem, hoc est, triplicem uerticem ostentat. Pro splendido & nunquàm Leuidensi munere huius generis fera, Illustrißimo atq; integerrimo Saxoniæ, Turingiæ,

Mysniæ & principi Georgio ad urbem suam Lipsiam missa atq; adducta est, Anno salutis Christianæ trigesimo primo supra sesquimillesimum.

Theriacam *& Mithridatum non probè componunt hodie, etiam si uera simplicia habeant, nisi secundum Andromachi quantitatem & aliorum autorum conficiant, & una uice non tantum conflare obeant, quantum satis esset pro multis amphoris & cadis explendis.*

Terra *sigillata carent nostrorum Aromatariorum officinæ.*

Teucrium *uide libro superiore de Nomenclaturis.*

Tiliam *libro superiore docuimus quosdam in dubium reuocare an ueram habeamus. Vtcunq; tamē res habeat, exacti uir iudicij Adulphus Occo medicus Augustanus amicus noster, nos aliquando pro sua humanitate admonuit, aquam exhalantem ex floribus tiliæ, quam meta distillatoria excipimus, mirandum in modum pueris Epilepticis, quocunq; modo administretur, conducere, cui non nulli solent uiscum quernum adiungere. Habuimus ex hoc tempore inter præcipua, prosperè successit, nec sumus spe nostra frustrati.*

Trinitatis *herba coronaria sic à iunioribus*

appellatur

appellatur, à triplice floris colore et paßim in hortis fouetur. Quidem hanc Iaceam faciunt, alij antiquis ignotam prædicant. Prodest aqua ut ignis inde eliquata Asthmaticis qui in pectore laborant angustia, & absceßibus pulmonum potißimum. Iacea.

Tunici herbæ meminimus in libro de Nomenclaturis Simplicium Medicinarum.

V

VAlerianam quære in libro superiore in herba Phu.

bu Veratrum nigrum uulgare illud, & in qui utsdam apud nos locis prognasci solitum, quidam m pseudoelleboron flocciffaciunt, & ueratro uerò minime comparandum opinantur. Vt ut uerò res habeat, sequi uolumus in hac parte præceptorum nostrorũ certam experientiam, quæ est rerũ magistra, qua testatißimũ habemus & nouimus, illud nostrum uulgatũ ueratrũ uires et facultates illas exercere fœliciter atq; ex uoto utentis: si tamẽ malicia eius prius emendatur. Id quod ad nutum nostrũ consequimur, ubi singulis annis in uere & autumno ipsum loco permutato transplantatur, elotis tamen pleno & fumoso radicibus ipsius. Nam hac arte edulcorari nonnihil uidentur, quæ quidem ipsius ueratri potißima est & castigatio & rectificatio.

Veronica

Veronica *herba quam Germani ab encomio et honore,* Erenpreiß *appellant fortaßis ueteribus permansit inperuestigata. Quoniam uero pro interaneorum uiscerum curationibus mirandũ in modum semper edit de se specimen, aliquando eruditum uirum* Othonem Brunfelsium *amicum nostrum haud uulgarem priusquàm animam ageret cohortabamur, ut & hanc herbulam elaboraret, perquireretq́; ubi nam inueniri eandem daretur, apud bonos autores. Ille autem mihi priuatis literis super* Veronica *herba, hunc in modum respondit. Non poteras tam congratulari tibi* Agricola *amicorum meorum maxime, oblatam esse semel occasionem, de re medica conferendi mecum, quantum ego uicißim exhilaratus sum lectis literis tuis amicißimis, plenis reuerentia splendore & grauitate uidelicet, quod hominem in in medica profeßione paulum ultra exordia progressum, tam amice prouocaueris. Atque utinam ego is essem qui scitißimis tuis problematis atq; quæstiunculis queam respondere: adeò non degrauarer, ut nihil etiam facturus essem libentius. Miror tamen cum habeas finitimos tibi & Germanos doctißimos uiros* D. Leonardum Fuschsium, Ioannem Magenbuchum, *& inter Augustanos medicos saltem* Ambrosium,

Epistola. Brunfelsij.

Iungum,

Iungum, Gereonem Seylerum meum, & Adolphū Occonem, de medicina uniuersa optime meritos: mihi soli imposueris id oneris, præsertim quod ad Veronicam herbam attinet, quasi ego diuinator quidam sim, quem nihil prorsus herbarum præte-reat. Quod si conijcere me quippiam uolueris, egregie potero, nec sine uerbis me reperies. Sed quantum in eo iudicio largior fui, & ad pronunci-andum promptior hactenus, tanto ero post hac uer borum parcior: tam est iudicium & artificium nō contemnendū de herbis etiam uulgatißimis pro nunciare. Quod nisi semel temerè nimis & im-premeditate hanc telam orsi fuissemus, certe equi, deinceps neq; adigerent neq; protraherent. In gratiam tamen tuam, ut nihil non paratus sum obi-re, ita ocij quippiam nactus, periculum faciam, num hos nodulos & imprimis historiam herbæ Veronicæ tibi queam explicare. Nunc ne locos quidem in Galeno à te citatos dispicere licuit. Spes autem mihi est, quod ex pistrino meo aliquando admar, atq; tum si Dominus uolet, non solum tibi, sed uniuersæ reipublicæ desudabo. Id breui fu-turum est ut spero &c Vale. Has nobis candi-di Lectores condonabunt ineptias, quicunq; un-guiculis & miniatulis cerulis (quem in modum

M Cicero de suis scriptis ad Atticum uerba facit) hunc locum dignum iudicabunt: modo norint nos tum amicitiæ confœderationi obnoxios, fortaßis nimium tribuisse amiculo, uel in Elysijs campis agenti, tum quoq; libenter ubi habere potuimus eruditorum censuras & iudicia ambiuisse.

Vini decoctiones in qua uidelicet ad aquam proportione, & quantum coquendo consumi, iuxta doctrinam antiquaculorum & recentiorum debeat, quærito superius in Succorum decoctionibus.

Violæ & Rosæ apud Diosc. & ueteres non sunt ad propinandum exhibitæ alui ciendæ gratia, quam artem ut assequatur aliquis strennue, non dedignabitur uidere Mesueum, atq; Manardum dissertantem de Elaterio Epistola 1. libri 13.

Vmbilicum Veneris nusquàm apud autores inuenias, Nam quod non sit Cotyledon Diosc. quod nonnullis uidetur, inde fit manifestum. quod Cotiledon in locis nascitur maritimis, nec habet folium figura coxendicis. Nascitur in parietibus antiquioribus, & lapidum cumulis. Neq; est etiam secunda Cotyledonis species, quæ in modum Sedi, in montibus nascitur.

Volubilis

Volubilis à Recentioribus medicis, qui si bi purgandi uentris uindicant scientiam, ad quos & medend iautoritas superioribus annis erat deuoluta, laxatiuum pharmacum factum. Quæ uerò interim admoueri debent abunde sunt tradita, qui super hac re consulendus est, à Mesuah.



Z

ZEdoaria nusquàm apud Græcos inuenitur. Serapio et Auicēna, appellant zurū bet licet Auicēna postea aliud caput de Zurumbet cōmentus sit, quasi de re diuersa. Zurumbet animaduertit Musa idē esse cum Arnabo Paulus, Galenus enim non meminit licet intestimonium citetur à Tarich translatore Serapionis. Est enim cum apud Paulum tum apud Serapionem zurumbet in censu odoramentorum, cuius rei gratia unguentis subinde inseritur ab unguentarijs. tertij calefacientium & arescentium ordinis, Casiæ, carpesioq; simile. Auicēna zarnabum uocat, Paulus addit hæc. Quamobrem in eius penuria Posidonius Cinnamomum in ipsius locum constituendum esse censuit. Serapionis autem interpres perperam hanc sententiam ita reddidit. Et dixit Consodonius, si non habes cinnamomum pone pro eo zurumbet.

Zulapon

Zulapon *quære in Iuleb.*

Zizipha *quære in Iuiubis.*

Zucchari *antiqui nunquàm meminere, Vide Saccharum.*

Hic iam demum ſubſiſtere atq; interquieſcere nobis animus erat candide Lector. Denuo uerò huius tractationis cauſam repetere apud uos uoluimus, admirandas uidelicet herbarum uirtutes nos ad hanc ſubeundam prouinciam adegiſſe. Siquidẽ Xantus hiſtoriarum autor, ut eſt apud Plinium lib. 25. tradit occiſum Draconis catulum reuocatum ad uitam apparente herba, quam Bali uocant. Picus itidem auis adactum eius cauernis cuneum, admota quadam herba exilire cogit. Quin & Indi quidam herba tantum uictitant, ut teſtatur Herodotus lib. 2. Refert etiam Apianus Alexandrinus Parthos ab Antonio fugatos, quum fame laborarent, herbam quandam comediſſe, unde nihil aliarum rerum reminiſci aut intelligere potuerint, lapides autem continue effoderint, quaſi magnũ opus condituri, qui bilem deinde euomentes interierunt.

Haud dubie nihil non herbarum uiribus effici poſſet, ſi plurimarum uirtutes non ignorarentur.

FINIS LIBRI SECVNDI.

LECTORI.

Indicem duplicem diligentißimum tam Latinarum uocum, quàm Germanicarum adposuimus, tibi in commodũ, quò omnia ea primo adspectu, quæ ad lectionem medicam in dubijs uocabulis, & præcipuè in herbarum cognitione, spectant, deprehendas, idq́; sine ullo labore. Latinum quem indicem præmisimus, quem Germanicus subsequetur, Vale.

HERBARVM AC RERVM MEDICARVM toto hoc Libro insignium Index.

alema

C

caloenum

chameleon

circea

cunila

delphinia

elæomeli

gnidium

hydromali

lania

masticbe

myrrhida

osyris

panis

ranuncu

spartön

ſylphium

T

tembul

uerbaſci

INDEX GERMANICORVM VOCABVLORVM COPIOSVS.

Ddurch

Quendel

W

Z

FINIS.